DE BAPTISMO

aduerſus

Hieronymum Moſcorouium Arianum,

LIBER VNVS.

Authore
R.P. MARTINO SMIGLECIO Societatis IESV, Sacræ Theol: Doctore.

VITTORIO EMANUELE

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S.R. M. Typographi
Anno Domini, M. DC. XV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtr^mo & Reuerend^mo Domino,

D. PETRO TYLICKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI,

DVCI SEVERIENSI, &c.

Dño in Chriſto obſeruandiſsimo.

Author Salutem & Felicitatem.

QVAMVIS MAXIME CONVENIAT, Præſul Illuſtriſſime, libros, qui de rebus Diuinis ſcribuntur, Epiſcopis, Apoſtolicæ Dignitatis hæredibus nuncupare. Illos enim Spiritus S. Rectores Eccleſiæ Dei & ſacrorum iudices conſtituit, vt controuerſas de Religione doctrinas cognoſcant & dirimant: Mirari tamen ſatis nequeo Moſcorouium, quòd ſuum tibi opuſculum inſcripſerit. Cùm enim ſublimes & arrogantes gerant ſpiritus Ariani, & quidquid delirant oracula putent, vereor vt te iudicem ſuorum dogmatum eſſe voluerit. Aliò, neſcio quò, conſilium eius collineauit. Interim diuinare nolo. Vnum verè dicam, Moſcorouium hac in re paulò minus conſideratum fuiſſe, qui quid ſe deceret, quidué tua perſona poſtularet, non viderit. Horret animus, atq; orbis Chriſtianus ad illa, quæ in eo libello de Baptiſmo diſputantur; omnem eius planè rationem conuellit Moſcorouius; tantum ei adimit & detrahit, vt ſi vera ſint, quæ falſo pronunciat, vt oſtendam, Baptiſmus eſſe deſinat, fruſtraq; Ariani ſe Chriſtianos eſſe nobis perſuadere conentur. Quid verò magis indecorum, quàm Epiſcopi protectione & patrocinio munire, quod non ille tantùm damnet, ſed quiuis, etiam è vulgo Catholicus, execretur. Neq; verò Moſcorouius præcipiti hac audacia ſuæ tantùm famæ aliquam temeritatis inuſſit notam, ſed etiam in te nonnihil fuit iniurius. Quis enim non dicam Epiſcopus, ſed vel verbo Chriſtianus, non dedecus & pro

Digitized by Google

brum exiſtimet, hominem hæreticum ad hæreticam fuliginem colluſtrandam, Chriſtiani ſui nominis abuti ſplendore? Et ſanè tibi factum Moſcorouij minimè probatum fuiſſe, certo mihi perſuadeo. Scio enim ſingularem tuam in rebus iudicandis ſapientiam, & eximium in religione zelum. Mearum ergo partium eſſe duxi, nomen tuum Epiſcopale, quod violarunt Ariani, expiare. Expiandi ratio ea viſa eſt aptiſſima, quæ etiam in rebus ſacris, quocunq; modo prophanatis tenetur, cùm in locum ſuum, id eſt ſacrum, cum honore reponuntur. Vbi enim decentiùs & honeſtiùs nomen Epiſcopi collocetur, quàm in libris Catholicorum? Nam ſicut ad gemmæ fulgorem, magna fit acceſſio ſplendoris, ſi auro inſeratur; ita & Epiſcopus neſcio quo pacto maiorem habet Dignitatis claritatiſq; ſuæ gratiam, ſi veritati Catholicæ cuſtos & patronus ſtatuatur. Librum itaq; hunc, quem contra Moſcorouianum Baptiſmum, Orthodoxis rationibus inſtructum produxi, ne aut Ariani, ſi reſponſum non haberent, audaciores fierent, aut ego, ſi non darem, ſemel ſuſcepto muneri defuiſſe viderer, Ampliſſimo tuo nomini conſecro & dedico. Caterùm vti ſpero, intelligent omnes, quæ à Moſcorouio aduerſus Baptiſmum ſcripta ſunt, eſſe eiuſmodi, quæ in Chriſtianam religionem cadere nullo modo poſſunt. Quapropter Præſul ampliſſime, iſtud quidquid eſt, laboris mei æqui boniq; conſules, dabiſq; mihi veniam vt te meæ quoq; chartæ loquantur, de cuius laudibus & præclaris in Rempublicam Chriſtianam, ſimul & Polonam promeritis, nulla vnquam tempora, conticeſcent. Viue & vale.

Datum Caliſſij ex Collegio Karncouiano Societatis IESV, *2. Iulij, 1615.*

Errores Moſcorouij, qui in hoc libro refelluntur.

De Deo.

1. Spiritum ſanctum non eſſe verum Deum.
2. Nec Diuinitatis perſonam.
3. Falſum eſt Spiritum S. nos regenerare in Baptiſmo aquæ.
4. Non quidquid eſt in Deo, Deus eſt.
5. Decreta Dei ſunt in Deo, tanquam res ab ipſo diuerſæ.
6. Decreta Dei ſunt vera effecta Dei.
7. Decreta Dei ſunt eius accidentia.
8. Præter Deum eſt aliquid æternum.
9. Præter Deum eſt aliquid increatũ.
10. Deum eſſe infinitum nuſquam fortè ſacræ literæ docent.
11. Deũ in luce corporea inacceſſa inhabitare tanquam in loco.
12. Hanc lucem coæternam eſſe Deo.
13. Et increatam.
14. Et æqualem Deo.
15. Materiam primam eſſe ab æterno probabiliter aſſeritur.
16. Duos Deos diuerſos in lege noua colendos eſſe
17. Chriſti eſſentia non eſt natura Diuina, ſed munus illud Diuinum.
18. Error circa Chriſti eſſentiam non tollit Chriſtum.
19. Chriſtus inſufflando in Apoſtolos non dedit eis reuera Spiritum S. ſed poſtquam cœlos aſcendit.
20. Mortem Chriſti reuera non conferre nobis ſalutẽ, ſed tantùm repræſentare charitatẽ Chriſti, qua excitamur in ſpem in Deum.
21. Chriſto poſt reſurrectionem donata eſt vera Diuinitas.
22. Paruulos ab Herode interemptos, pro nomine Chriſti minimè occubuiſſe.
23. Aliquid ab æterno gigni impoſſibile.
24. Poteſtas peccata remittendi Apoſtolis data, nihil aliud quàm annunciationem continet.
25. Renaſci ſine actu credẽdi nemo poteſt.
26. Ioannem in vtero non fuiſſe regeneratum.
27. Quod ab æterno eſt, non poteſt ab alio eſſe.

De Baptiſmo & Sacramentis.

28. Chriſtum Baptiſmum aquę nec inſtituiſſe, nec mandaſſe, nec publicaſſe.
29. Falſum eſſe, Baptiſmo nos effici Chriſtianos.
30. Baptiſmus aquæ non debet conferri in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.
31. In Baptiſmo aquæ inuocationem nominis Chriſti non fieri.
32. Baptiſmum aquę tantùm ad profitendum nomen Chriſti inſtitutũ eſſe.
33. Verba illa Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* ad Baptiſmum aquæ non pertinere.
34. Nullum inconueniens eſſe, in locum aquæ alium liquorem in Baptiſmo ſubſtituere.
35. Baptiſmus aquæ non eſt ad ſalutẽ neceſſarius.
36. Baptiſmus aquæ non fit ad remiſſionem peccatorum.
37. Ad formam Baptiſmi aquę profeſſionem Trinitatis non pertinere.
38. Infantes non eſſe Baptiſandos.
39. infantes non poſſe renaſci ſpiritualiter.
40. Non naſci eoſdem in peccato originali.

41. Baptiſmus ille, qui eſt à Christo inſtitutus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non eſt Baptiſmus aquæ.

42. Paruuli decedentes ſine Baptiſmo non damnantur, nec puniuntur à Deo, vt noxii.

43. Eũ in cuius nomine baptizamur, non eſt neceſſarium eſſe Deum verum.

44. Sub ſpecie panis & vini nos corpore & ſanguine Domini participare & falſum eſt & abſonum.

45. Accidentia panis & vini ſine propriis ſubiectis ſubſiſtere, prorſus, inuoluit contradictionem.

46. Sacramenta non ſunt inſtituta ad iuſtificationem noſtram.

INDEX CAPITVM LIBRI.

Forma Baptiſmi, Trinitatis profeſſionem & inuocationem contineri, contra Arianos demonſtratur. Caput I.

Arianos abſurdè negare, Baptiſmum aquæ conſerri debere in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Caput II.

Spiritus ſancti Diuinitas à Moſcorouij blaſphemijs vindicatur. Caput III.

Duo argumenta pro Diuinitate Spiritus ſancti, à Moſcorouij cauillationibus vindicantur. Caput IV.

Per Baptiſmum aquæ nobis remitti peccata, impiè à Moſcorouio negatur. Caput V.

Fundamenta duo Moſcorouij euertuntur. Caput VI.

Paruulis Baptiſmum aquæ neceſſarium eſſe ad ſalutem, aduerſus Moſcorouium demonſtratur. Caput VII.

Arianos cùm omnem Baptiſmi rationem euertant, Chriſtianorum nomen non mereri. Caput VIII.

Trium perſonarum vnam eſſentiam rectè colligi ex 1. Ioan: 5. aduerſus Moſcorouium oſtenditur. Caput IX.

Appendix, in qua oſtenditur, Moſcorouium probare minimè potuiſſe, Chriſto Diuinitatem donatam eſſe.

DE BA-

Digitized by Google

DE BAPTISMO aduerſus Moſcorouium Arianum,

LIBER VNVS.

QVatuor ſunt, quæ de Baptiſmo à Moſcorouio negantur, Forma Baptiſmi, Materia, Fructus, Neceſſitas: quibus negatis, quid reliquum eſt, quod de Baptiſmo credi poſſit? Itaque hæc, eodem ordine, accuratè refellenda ſunt: & oſtendendum Arianos, vti in alijs Religionis noſtræ capitibus; ita & in hoc, non ſolùm à communi totius antiquitatis fide, ſed & ab omni ſcripturarũ ſenſu, quàm longiſſimè abeſſe.

Forma Baptiſmi, Trinitatis profeſſionem & inuocationem contineri, contra Arianos demonſtratur. Cap: I.

CHriſti inſtitutio eſt, vt Baptiſmus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. conferatur Math: 28. Quid ſit autem in nomine alicuius Baptiſmum conferri, explicuit Paulus, cùm ait: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptiſati eſtis?* 1. Cor: 1. 13. Scilicet tantus Apoſtolus intellexit, non in hominis alicuius, etiam ſanctiſſimi nomine, Baptiſmũ conferri poſſe, ſed in ſolius Dei nomine. Etenim cùm Baptiſmus cõferatur ad ſalutẽ & remiſſionẽ peccatorũ, Math: 28. Act: 2. 38. eius ſolius nomine cõferri poteſt, qui eſt præcipua ſalutis noſtræ & remiſſionis peccatorũ cauſa: alioqui ſi ſecũdaria & minus pręcipua cauſa ad id ſufficeret, poſſet in cuiuſcunq; Apoſtoli, vel etiam Miniſtri nomine conferri. Quòd tamen ita Paulus horruit, vt cum admiratione, tanquam rem, quæ fieri nullo modo poſſit, cõmemoret: *aut in nomine*, inquit, *Pauli baptiſati eſtis?* Cùm igitur ſolus Deus ſit, & præcipua ſalutis noſtræ cauſa, *& nemo peccata remittat, niſi ſolus Deus*; fit vt ſolus Deus ſit is, in cuius nomine baptiſemur. Idem enim eſt in nomine alicuius baptiſari; & in nomine eius remiſſionẽ peccatorum conſequi. Quod ſi in Dei ſolius nomine baptiſamur: *In ſolius Dei nomine baptiſamur.*

Patrem,

Digitized by Google

Patrem, Filium, & Spiritum S. verum Deum eſſe, conſequens eſt: in horum enim trium nomine, Baptiſmus vt fiat, à Chriſto inſtitutus eſt. Hoc verò quid aliud eſt, quàm Trinitatem in Baptiſmo confiteri? in vnius Dei nomine, qui ſit Pater, Filius, & Spiritus S. baptiſari? idcirco enim non in nominibus, quaſi in multis, ſed in nomine quaſi vno Patris, Filij, & Spiritus S. baptiſamur. quorum enim vna eſt Diuinitas, vnum etiam nomen eſt, Dei inquam nomen.

Reſpondet Moſcorouius, falſiſſimum eſſe, non poſſe nos, niſi in ſolius Dei nomine baptiſari, adducitque ad rem nihil ſpectantia exempla. Legimus enim, inquit, aliquos in Baptiſmate Ioannis baptiſatos, Act: 19. & quotquot in Chriſto baptiſantur, in morte ipſius baptiſari. Rom: 6. 3. Item Iſraelitas in nube, & in mari, & in Moyſe baptiſatos eſſe. 1. Cor: 10. 2. Porrò idem eſſe ait in nomine ipſius baptiſari, & in ipſo baptiſari: ſicut credere in Chriſtum & in nomine Chriſti.

Baptiſmus multiplex.

Aio igitur Moſcorouium impertinentia loqui; non enim quæſtio eſt, an quemcunq; Baptiſmum in ſolius Dei nomine fieri oporteat: hoc enim nemo, niſi ſtultiſſimus aſſeruerit. Sicut enim varia ſunt genera baptiſmatum: ita varij ſunt illi, quorum nomine fieri illa baptiſmata poſſunt. Sic Ioannis Baptiſmus, fuit in nomine Ioannis: quia ab illo inſtitutus; ex ipſo nomen & auctoritatem habebat. Sic in Moyſe dicuntur Iſraelitæ baptiſati. At quid hoc ad Baptiſmũ Chriſti; qui cùm ſit inſtitutus ad ſalutem & remiſſionem peccatorum, non poteſt niſi eius nomine conferri, qui ſit prima cauſa ſalutis & remiſſionis peccatorum. Non igitur dicimus, omnem Baptiſmum in Dei nomine fieri, ſed ſolum Chriſti Baptiſmum, qui cùm ſit ad eum effectum, qui ſolius Dei proprius eſt, conferendum inſtitutus, ex propria ſua ratione, ob cauſam dictam, habet, vt non niſi in Dei nomine fiat.

Is in cuius nomine fit baptiſmus, eſt perſona.

Verùm & in hoc labitur Moſcorouius, cùm putat idem eſſe in re aliqua baptiſari, & in nomine eius baptiſari. Baptiſari enim in aqua vel mari, non eſt in nomine aquæ vel maris baptiſari: quamuis ſi in nomine alicuius baptiſetur quis, conſequens eſt in ipſo baptiſari. Non enim in nomine alicuius facere quidpiam dicimur, niſi ſit illa perſona aliqua: nec vllus modus loquẽdi fert, vt in nomine re-

rum

Digitized by Google

rum illarum, quæ perſonæ non ſunt, quicquam dicamur facere. Ex quo etiam concluditur contra Moſcorouium, Spiritum S[illegible] perſonam: ſiquidem in nomine eius baptiſamur.

Porrò aliam inſtantiam dat Moſcorouius, cùm ait nos in nomine Chriſti baptiſari, cùm tamen ei, & IESV nomen impoſitum legamus, & ipſum à Deo factum eſſe Chriſtum & Dominum: ex quo ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum. At hæc non eſt inſtantia, ſed craſſa petitio principij. Stultum enim eſt, dare inſtantiam in iis rebus, quas Aduerſarius non admittit. Lex inſtantiarum eſt, vt ſint, ex eorum rerum genere, quæ ab aduerſario admittuntur: ita vt iis admiſſis, non poſſit non admittere id, de quo controuerſia inſtituta eſt. Qualis non eſt inſtantia Moſcorouij. Quis enim præter Arianos, negat, Chriſtum eſſe verum Deum? Vnde multò præclariùs intuliſſet nobiſcum Moſcorouius, ſi in Chriſti nomine baptiſamur, Chriſtũ verum Deum eſſe neceſſe eſt: Baptiſmus enim cùm ſit in ſalutem & remiſſionem peccatorum, non poteſt, niſi eius nomine fieri qui eſt prima ſalutis cauſa; cùm nihil in nomine alicuius fieri dicatur, niſi ille ſit vel habeatur prima eius rei cauſa. Idcirco enim cùm Miniſter facit aliquid, vt Miniſter, non dicatur nomine ſuo facere, ſed nomine Domini; quia poteſtate & auctoritate Domini facit. Cùm igitur nullus ſit prima ſalutis noſtræ cauſa, niſi Deus: non poteſt Baptiſmus in vllis præterquam Dei nomine conferri. *Chriſtus verus Deus quia in eius nomine baptiſamur.*

Iam verò ad locum Pauli reſpondet Moſcorouius, non poſſe ex eo deduci, nos in ſolius Dei nomine baptiſari. Solùm enim ait ibi vrgeri Corinthios, ne diſſidia ſeminent. Siquidem in vnius Chriſti, non in Pauli, aut alterius nomine baptiſati ſunt; & Chriſti, non alterius profeſſionem in Baptiſmo ediderunt. At certè Paulus plus aliquid dicit, quàm Moſcorouius memorat. Vrgebat enim Corinthios, diſſidia inter ſe ſeminantes, eo quòd vnus diceret, ſe eſſe Pauli, alter Apollo, alter Cephæ, alter Chriſti; vt tantò meliores aliis reputarentur, quantò à Nobilioribus Miniſtris fidem edocti aut baptiſati eſſent. Hoc autem conuellit Paulus primùm ex eo, *Diuiſus eſt Chriſtus*, ac ſi diceret, non alium Chriſtum prædicat Paulus, alium Apollo, alium Cephas, ſed vnus eſt Chriſtus in omnibus. Non igitur eſſe debet, ratio vlla diſſidiorum & æmulationis. Deinde cùm ſolus Chriſtus ſit crucifixus pro nobis, non Paulus; ad vnum Chriſtum omnes *Locus Pauli explicatur.*

 ſe referre

Digitized by Google

ſe referre debent, non ad Paulum, aut Apollo. Similiter non in Pauli, ſed in Chriſti duntaxat nomine baptiſati ſumus, illique ſoli per Baptiſmi profeſſionem adſcripti: quare nullius alterius, quàm Chriſti ſe eſſe, agnoſcere debent. Verùm hoc ipſum Paulus ita dicit, vt tanquam abſurdum inferat ac impoſſibile, vt vel Paulus crucifixus ſit pro nobis, vel in nomine Pauli baptiſati ſimus. Hanc enim vim habet illa interrogatio, *numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in Pauli nomine baptiſati eſtis?* Nam ſicut crucifigi pro nobis, & morte ſua peccata expiare noſtra, ita Chriſto proprium eſt, vt nec in Paulum, nec in quempiam alium cadere poſſit: ita & baptiſari in remiſſionem peccatorum. De tali enim Baptiſmo ſermo eſt.

Cùm verò quærit Moſcorouius, quomodo inde eliciatur, nos non niſi in Dei nomine baptiſari, dicendum eſt Paulum, non ſolùm à ſe id amouere, vt in nomine eius quis baptiſari poſſit, ſed etiam in ſua perſona ab omni alio, ita vt nulli homini, vel Angelo, atq; adeò nulli rei creatæ poſſit id competere, vt in eius nomine quis baptiſetur in remiſſionem peccatorum. Qua enim ratione id Paulo impoſſibile erat, eadem ratione cæteris quibuſcunque. Nam vti ſolius Dei proprium eſt peccata ſuo nomine remittere: ita & Baptiſmum remiſſionis peccatorum ſuo nomine conferre. Quocirca nec in Chriſti nomine baptiſari poſſemus, niſi Chriſtus verus Deus eſſet. Nam ſi Deus non eſſet, non ſuo, ſed Patris nomine, peccata nobis remitteret, & ſic non in ſuo, ſed in Patris nomine baptiſaret in remiſſionē peccatorum, cùm ſolius Dei ſit, ſuo, non alterius nomine peccata remittere.

Niſi Chriſtus Deus eſſet, nō poſſemus in nomine ipſius baptiſari.

Quinque inferuntur.

Ex quibus patet, cùm dicimur, in nomine alicuius baptiſari,
1. indicari primùm cauſam principalem remiſſionis peccatorum, non miniſterialem aut inſtrumentalem. Miniſter enim quidquid facit, vt Miniſter, non ſuo, ſed ſuperioris nomine facit. Deinde etiam in-
2. dicatur cauſa hæc, cuius nomine confertur Baptiſmus, eſſe Deus. is enim cuius nomine nobis peccata remittuntur, ſiue in Baptiſmo, ſiue extra Baptiſmum, Deus eſt. Nam qui præter Deum peccata remittunt, cùm id accepta à Deo poteſtate faciant, non ſuo, ſed Dei nomine remittunt. Cùm igitur is in cuius nomine baptiſamur, ſit is, in cuius nomine nobis peccata in Baptiſmo remittuntur, (idē enim ſunt illa, baptiſari in remiſſionem peccatorū, & accipere in Baptiſmo remiſſionem

Digitized by Google

ſionem peccatorum) conſequens eſt, eum in cuius nomine baptiſamur, eſſe Deum verum. Veriſſimum enim eſt quod habetur Marci 2. 7. *quis poteſt peccata remittere, niſi Deus?* & Iob 14. 4. *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es?* Tertiò indicatur Chriſtum eſſe, Deum verum: ſiquidem in nomine eius baptiſamur, & in nomine eius conſequimur remiſſionem peccatorum, vti dictu n eſt. 3. Quartò eadem ratione indicatur, Spiritum S. eſſe verum Deum: ſiquidem etiam in Spiritus S. nomine baptiſamur in remiſſionem peccatorum. 4. Quintò indicatur, Spiritum S. eſſe perſonam: non enim de re quæ non eſt perſona dici poteſt, quod in nomine eius aliquid dicatur fieri, ſed id propriè de ſolis perſonis affirmari ſolet. Nec refert in Græco haberi, *in nomen*, non in nomine. Idem enim eſt Græcis in nomen baptiſari, quod Latinis in nomine: & Græca phraſis ſi Latinè vertenda eſt, in nomine vertenda eſt. Latini enim non ſolent dicere, in nomen alicuius facere, ſed in nomine. 5. *Spiritus S. eſt perſona.*

Secundo negat Moſcorouius, in forma Baptiſmi profeſſionem & inuocationem Trinitatis fieri. At nos id clariſſimè demonſtramus. Trinitatem enim intelligimus, Patrem, Filium, & Spiritum S. vnum verum Deum, tres perſonas in vnitate Diuinæ naturæ exiſtentes. At qui hoc ipſum profitemur in forma Baptiſmi. Nam & Patrem, & Filium, & Spiritum S. nominamus, & vnum eorum nomen agnoſcimus; in quo baptiſari nos in remiſſionem peccatorum oporteat. Tale enim nomen eſt vnum tantùm, Dei ſcilicet veri nomen, præter quod nullum aliud eſt nomen, in quo peccata nobis remitti poſſint, ſiue in Baptiſmo, ſiue extra. Rectè igitur SS. Patres, ex eo quod in forma Baptiſmi dictum ſit à Chriſto, *in nomine*, non in nominibus, concluſerunt vnum eſſe nomen Patris, & Filij, & Spiritus S. nempe Dei veri nomen. Intellexerunt enim nomen, in quo baptiſamur, eſſe vnius veri Dei nomen: quare cùm hoc nomen, in quo baptiſamur, Patri & Filio & Spiritui S. tribuitur in forma Baptiſmi, intellexerunt Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe vnum verum Deum, & vnum Dei nomen commune habere. Vanè autem gloriatur Moſcorouius, ſe contra Skargam oſtendiſſe, hæc verba, *in nomine*, per ellipſim tam ad Patrem, quàm ad Filium & Spiritum S. referri. Nam neque nos referri negamus, ſed dicimus, ſub vna ratione Dei veri referri, ac proinde non ſub tribus nominibus, ſed ſub vno Dei veri nomine.

Trinitatis in Baptiſmo profeſſio.

Vnum nomẽ trium perſonarum.

mine. Id autem non ex Grammatica probamus: ſcimus enim, ſi Grammatica ſpectetur illa verba, *in nomine*, æquè tria conſequentia deſignare poſſe, ſicut vnum omnibus commune nomen. At ſi ratione, ex ſacris literis, & ex ſubiecta materia rem expendamus, dubiū non eſt, nomen illud, in quo baptiſamur, eſſe ſolius Dei veri nomē; atque hoc vnicum Dei nomen ad Patrem, Filium, & Spiritum S. referri. Quare, crepet licet Moſcorouius, Sanctorum Patrum ſententia in vno veri Dei nomine, in tribus perſonis aſſerendo, veriſſima eſt, cōuelliq; ac labefactari Grammatica Moſcorouij minimè poteſt.

Inuocatio Trinitatis in Baptiſmo

Quod addit Moſcorouius, in forma Baptiſmi mentionem fieri Patris, & Filij, & Spiritus S. non inuocationem; ex mentione autem inquit, non colligitur inuocatio, id inquam nimis futile eſt. Non enim quæcunque mentio eſt inuocatio, ſed cùm talem Dei mentionem facimus, vt in eius nomine aliquid obtineāmus, quis inficiari poterit, eiuſmodi Dei mentionem, eſſe veram Dei inuocationem. Ita verò mentio Dei fit in Baptiſmo, vt ſcilicet in nomine eius baptiſemur, & à peccatis expiemur. Quare & Ananias Saulo ait, Act: 22. 16. *Baptiſare & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius*, vt vel ex hoc ipſo doceatur, nomen in quo baptiſamur, non nudè commemorari ſed inuocari.

Moſcorouius formam Baptiſmi negat.

Ex dictis colligo primùm, Moſcoronium cum ſuis Racouienſibus veram Baptiſmi formam, quæ ab ipſo Chriſto inſtituta eſt, negare. ſiquidem negant Filium & Spiritum S. eſſe illum vnum verum Deum, in cuius nomine baptiſamur in remiſſionem peccatorum. Cùm enim pręter vnum verum Deum nullus ſit, qui peccata ſuo nomine remittere poſſit, conſequens eſt, vt Ariani vel Filium & Spiritum S. verum & vnicum illum Deum eſſe agnoſcere debeant, vel in nomine eius nos baptiſari & conſequi remiſſionē peccatorū negent.

Spiritum S. eſſe perſonā probatur.

Similiter cùm Spiritū S. eſſe perſonam negant, an non formam Baptiſmi euertunt? is enim in cuius nomine baptiſamur, non poteſt non eſſe perſona: cùm de rebus, quæ non ſunt perſonæ, non dicatur in nomine earum aliquid fieri. Quamobrem aut Spiritum S. eſſe perſonam fateri debent, quia in eius nomine baptiſamur; aut nos in nomine Spiritus S. baptiſari poſſe, negare debebunt. Ad hæc cùm Spiritus S. loquatur, audiat, & audita annunciet, quomodo non erit perſona? quis enim audita referre poſſit, niſi ſit perſona? Affert quidem

Digitized by Google

dem exemplum Moſcorouius de Spiritu hominis, qui intelligit, loquitur, audit, annunciat: neque tamen eſt perſona. Verùm non aduertit, Spiritum in Deo nõ eſſe partem ſubſtantiæ Diuinæ, vti eſt Spiritus hominis, ſed totam & perfectam Dei ſubſtantiam.: in Deo ſiquidem nullæ partes ſunt. Etiamſi igitur Spiritus hominis, quia pars eſt perſonæ hominis, non eſt perſona perfecta: id tamen de Spiritu, qui in Deo eſt, dici haud poteſt. Spiritus enim qui in Deo eſt, non eſt pars Dei, (pars enim imperfectionẽ neceſſariò inuoluit) ſed perfecta Dei ſubſtantia, ac proinde nihil illi deeſt ad perfectam perſonæ rationem.

At inſtat, ſcriptura ſacra dicitur tanto ante denunciare, prouidere, viuificare, 2. Cor: 2. 6. Gal: 3.8. neq; tamen dici poteſt perſona. Verùm quid hoc ad rem? ſcripturam enim annunciare, prouidere, non eſt verè iſta facere, ſed eſt eſſe ſignum & notam eorum, quæ nobis à Deo annunciantur & prouidentur. at Spiritus S. verè audit, verè loquitur & annunciat, verè intelligit; nõ verò eſt ſignum tantùm eorum, quæ Deus annunciat & intelligit. Verè autem intelligere Spiritum S. fatetur ipſe Paulus, cùm illum comparat cum ſpiritu hominis: quod ſicut ſpiritus hominis omnia ſcit, quæ ſunt in homine: ita Spiritus Dei omnia ſcit, quæ ſunt in Deo, & ſcrutatur etiam profunda Dei. Ad hæc, annunciare intellecta, non eſt niſi perſonæ, vt dictum eſt. quis enim vnquam dixerit, ſcripturam audire aliquid, aut audita nunciare? quæ tamen de Spiritu S. dicuntur, neque rei, quæ perſona non ſit, competere poſſunt.

Apoſtoli fidem Trinitatis docuerũt.

Colligo ſecundò, falſum omnino eſſe, quod ait Moſcorouius, Apoſtolos fidem Trinitatis non docuiſſe. Etenim ſi fides Trinitatis in forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta eſt, vti demonſtratum eſt, & mandatum Apoſtolis, vt ea forma baptiſarent omnes; qui negari poteſt eos fidem Trinitatis non docuiſſe, niſi Chriſti mandato eos non paruiſſe exiſtimandum ſit. Quapropter poſita Baptiſmi à Chriſto inſtitutione, neceſſe eſt Apoſtolos non ſolùm docuiſſe fidem Trinitatis, ſed etiam primò & ante omnia docuiſſe, nec in numerum Chriſtianorum admiſiſſe quenquam, niſi baptiſatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. quod eſt Dei vnius in eſſentia & trini in perſona venerandum nomen.

Negat quidem Moſcorouius, eam formam baptiſandi, in no-

Apoſtoli in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptiſarunt.

mine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ad baptiſmum aquæ referri: & nec ea Apoſtolos in aquæ Baptiſmo vſos eſſe (quod quàm temerè & falsò aſſerat, infra ſumus oſtenſuri) at negare non poteſt, ea forma Apoſtolos omnes fideles baptiſaſſe: vti illis à Chriſto mandatum eſt; ſiue id fecerint ſine aqua, ſiue cum aqua. In ea igitur forma, quomodocunque fuerit ab Apoſtolis adhibita, Fides Trinitatis cùm contineatur, ea doceri ab Apoſtolis procul dubio debuit.

At inquit Moſcorouius, Skargam aſſeruiſſe, Apoſtolos dogma Trinitatis propter difficultatem ipſius reticere ſolitos. Verùm neq; Skargam, neq; nos intelligit Moſcorouius. Nunquam enim Skarga negat, Apoſtolos ea docuiſſe, ex quibus neceſſariò conſequatur Deum eſſe vnum in natura, trinum in perſonis. Ex hoc enim genere eſt forma baptiſmi, quam & Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt.

Quod autem Skarga aſſerit, eſt, non ſtatim Apoſtolos expreſſè & iis ipſis verbis Trinitatem docere cæpiſſe. Nam ſi de Chriſti ſacerdotio diſputationem ingreſſurus Paulus, ait ad Hebr. 5. 11. *de quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum*: quantò magis id in myſterio omnium Diuiniſſimo, omnemque rationem excedente factum fuiſſe, exiſtimare par eſt.

Ait præterea, Apoſtolos, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, & nominibus, & deſcriptionibus diſcriminauiſſe: vt quæ de vno dicuntur, dici de alio non poſſint: vt, quòd Pater, ſit Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater: quòd Filius ſit conceptus & natus ex Maria Virgine, crucifixus, mortuus, ad dexteram Dei collocatus: quòd Spiritus ſanctus ſit virtus Dei, quæ à Deo Patre procedit, & in alios effunditur. Verùm Moſcorouius aduertere non vult, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum ex doctrina Apoſtolorum, in vno eſſe diuerſos, in alio non eſſe: eſſe diuerſos in perſonis, non eſſe diuerſos in natura. Cùm enim ea Patri, Filio & Spiritui ſancto tribuuntur, quæ nō poſſunt niſi vni ſoli Deo tribui: indicatur tres illos, eſſe vnum Deum verum: Cùm verò iidem, tres eſſe demonſtrantur; conſequens eſt, eos non in natura, ſed in proprietatibus perſonalibus differre. Quare Patris, Filij & Spiritus ſancti nomina & tria ſunt, & vnum: Tria, ſi proprietates perſonales ſpectes, quæ etiam Patris, Filij & Spiritus ſancti nominibus deſignantur. Vnum verò, ſi ad naturam referas. Vnum enim eſt Dei nomen Patri, Filio, & Spiritui ſancto commu-

Diſcrimen trium perſonarum & ſpeciæ.

Digitized by Google

ne. Neque huius rei alia à nobis probatio hoc loco requirenda eſt, quàm illa, quæ ex forma baptiſmi ſumitur. Quo etiam modo deſcriptiones Patris, Filii, & Spiritus ſancti ſunt diuerſæ, propter diuerſas ſingulorum proprietates perſonales; non verò ſi naturam Diuinam ſpectes. Quanquam quod ad Chriſtum attinet, ſi is, quà homo eſt, conſideretur, etiam natura humana diſtinguitur à Patre & Spiritu ſancto, licet quà Deus, cum iiſdem, natura ſit vnus.

Et ſanè nihil Apoſtolicæ doctrinæ ita repugnans eſt, quàm tres Deos, Diuino cultu colendos aſſerere. *Scimus*, inquit Paulus, 1. Cor: 8. 4. *quia idolum nihil eſt in mundo, & quia nullus eſt Deus, niſi vnus.* Cùm igitur ex Scripturis Apoſtolicis conſtet, non Patrem ſolum, ſed & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe Deum verum Diuino cultu colendum, nihil magis conforme doctrinæ Apoſtolicæ cenſeri debet, quàm Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum cum Patre. Verùm hoc argumentum copioſè à nobis tractatum eſt contra Smalcium 1. de erroribus Arianorum libro.

Scriptis Apoſtolicis nō omnia conſignata.

At inquit. Si Apoſtoli fidem Trinitatis docuiſſent, eam ſcriptis ſuis conſignaſſent: ſiquidem multò minora & non magni momenti, vti de velandis in cœtu piorum fœminis & ſimilia conſignârunt. Sed hæc argumentatio Moſcorouij nullius prorſus eſt roboris; primùm quod ſcripta Apoſtolica non eo conſilio & fine ab Apoſtolis prodierunt, vt omnem fidem Chriſtianam, & ſingulas eius partes comprehenderent, ſed vt iis, occurrentibus tunc difficultatibus & neceſſitatibus obuiam iretur. Singulæ enim epiſtolæ ad ſingulares aliquas difficultates tollendas conſcriptæ ſunt, Euangelia autem ad vitæ Chriſti hiſtoriam cōprehendendam. Non igitur eſt neceſſarium, vt quidquid ad fidem ſpectat, in aliquo ſcriptorum Apoſtolicorū contineatur. Neque oppoſitum aduerſarij vllo ſolido argumento hucuſque probare potuerunt. Deinde Paulus Hebr: 5. 11. ait, multa ſe habere de Chriſti ſacrificio dicenda, & quidem grandia atque ininterpretabilia: quæ tamen ob imbecillitatem audientium, neq; tunc ſcripſit, neque in alia vlla epiſtola comprehendit. Si igitur quædam valde difficilia Apoſtoli ſtudio reticere volebant, ob eorum, ad quos ſcribebant, imbecillitatem; quis non videt ſi de altiſſimo Trinitatis myſterio ſcriptū nil reliquiſſent, eos iure id facere potuiſſe. Quare cùm Moſcorouius ait, ſi de leuioribus rebus tractarunt in ſuis ſcriptis

ptis Apoſtoli, debuiſſe quoque de Trinitate tractaſſe. Reſponſio facilis eſt: De nulla enim re tractàrunt, niſi ex occaſione quadam & ortis difficultatibus, ſiue ea leuiora eſſent, ſiue grauiora. Imò nec de grauioribus quibuſdam tractare voluerunt, propter imbecillitatem eorum, ad quos ſcribebant.

Trinitas in ſcriptis Apoſtolicis.

Quanquam neque hoc in ſcriptis Apoſtolicis deſiderari poteſt. Ea enim de Patre, Filio, & Spiritu ſancto literis conſignàrunt, ex quibus & vna eorum Diuinitas & perſonarum diſcretio cõcludi neceſſariò debet, vt alibi à noſtris de Diuinitate Filii & Spiritus ſancti, oſtenſum eſt.

Friuola verò eſt Moſcorouii coniectura, cùm ait, Apoſtolum toties gratiam & pacem Fidelibus precari à Deo Patre & Chriſto: at de tertia perſona altum apud eundem ſilentium. Rom: 1. 7. 1. Cor: 1. 3. Similiter cùm obteſtatur coram Deo & Chriſto, tacita Spiritus S. perſona. 1. Tim: 6. 13. 1 Tim: 5. 21. 2. Tim: 4. 1. denique in Apocalypſi, ſedenti in throno & agno hymnus occinitur omiſſo Spiritu ſancto. Apoc: 5. 12. Apoc: 7. 10.

Cur quandoque omittatur Spiritus ſanctus.

Friuola, inquam, atq; inepta eſt ea coniectura. Nam neq; vlla neceſſitas eſt, vt omnes Diuinæ perſonæ ſemper recenſeantur. & ſpecialis ratio poſtulare poterat, vt hæ & non aliæ perſonæ nominarẽtur: quia ſcilicet de illarũm tunc poteſtate & auctoritate ageretur. Quomodo Patris & Chriſti auctoritas præcipuè vrgetur in ſcripturis. Nam à Patre miſſus eſt Chriſtus in mundum, vt eſſet Redemptor noſter. Deniq; ſicut in pleriſque locis Spiritus ſancti perſona tacetur: ita in aliis non tacetur. Sic 2. Cor: 3. 13. Paulus ait, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.* Similiter 1. Cor: 12. 4. Deum, Chriſtum, & Spiritum ſanctum, docet eſſe largitorem omnium gratiarum, *Diuiſiones*, inquit, *gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quod ſi Paulus tam clarè docet omnes gratias proficiſci non à ſolo Deo, nec à ſolo Domino, ſed etiam à Spiritu ſancto, certè eaſdem gratias potuit precari, non à ſolo Deo & Chriſto, ſed etiam à Spiritu ſancto. Non igitur ideo non eſt precatus à Spiritu Sancto, quòd Spiritum ſanctũ largitorem & fontem gratiarum, aut tertiam in Deitate perſonam non agnoſceret. (Agnouit enim eſ-

ſe Deum,

Digitized by Google

ſe Deum, quem largitorem gratiarum agnouit, quippe cùm nullus præter Deum ſit fons & largitor gratiarum) Verùm quòd præcipuè Patris & Filij poteſtatem fidelibus tunc proponere & commendare volebat; quorum potentia potiſſimùm in noſtra redemptione eluxit: licet vna eſſet eademque omnium trium poteſtas.

Certè cùm Paulus membra noſtra, templum eſſe Spiritus ſancti agnoſcit, & glorificare ac portare Deum in corpore noſtro iubet, 1. Cor: 6. 19. an non Spiritum ſanctum verum eſſe Deum (vt potè qui templum habeat, & tanquam Deus glorificari in corporibus noſtris iubetur) agnoſcit? an non diſertè docet Spiritum ſanctum & in Deo eſſe, ſicut eſt ſpiritus hominis in homine conſubſtantialis illi, & ex Deo eſſe, & ſcrutari omnia, etiam profunda Dei, ita vt nemo ſciat, quæ ſunt in Deo, niſi ille: ſicut nemo ſcit, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis: quia nimirum eſt illi conſubſtantialis, 1. Cor: 2. 10. Quis hinc Spiritum ſanctum & conſubſtantialem Deo, & ex Deo nihilominus procedentem, tanquam perſonam diſtinctam non colligat?

Spiritus S. eſt Deus

& ex Deo.

Tandem oſtendit Moſcorouius, Chriſtianos ab Apoſtolis fidem de Trinitate nunquam edoctos eſſe. Quid ita? quia, inquit, ipſimet Apoſtoli eam in ſcriptis ſuis non docuerunt. At iam hoc falſum eſſe oſtendimus. Docuerunt enim, vti & nos nunc ex iiſdem ſcriptis cum Eccleſia Catholica docemus. Et quamuis in ſcriptis ſuis, eam doctrinam non tradidiſſent, quod ob alias cauſas & occaſiones, & ad alias difficultates, quæ tùnc à fidelibus mouebantur, declarandas, epiſtolas ſuas conſcripſerunt; non idcirco tamen negari poſſet Apoſtolos prædicatione ſua, eam doctrinam fidelibus tradidiſſe. Et ſanè vehemens argumentum eſt, quod in 1. de erroribus Arianorum libro c. 1. vſimus, cùm conſtet ad Nicœni Concilij tempora, totum mundum fidem de Trinitate retinuiſſe; eaque de cauſa Ario, qui id negabat, anathema dixiſſe: ſi ea fides ab Apoſtolis profecta non eſt, debet aſſignari aliquis alius poſt Apoſtolorum tempora auctor, qui eam in orbem Chriſtianorum inuexerit. Nam ſi alias omnes hæreſes, quæ & minores erant, & totum mundum non occupauerant, & quaſcunque in religione mutationes ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſcriptores Eccleſiaſtici cum ſuis auctoribus diligentiſſimè adnotarunt, adſcriptis earum authoribus ac origine: quomodo tantam in religio-

Mundus fidem Trinitatis ab Apoſtolis accepit.

religionis mutationem, quæ vniuerſum mundum inuaſit, & à doctrina Apoſtolorum apoſtatare (vt putant Ariani) fecit, non adnotaſſent? Idcirco igitur non adnotarunt, quia nulla talis mutatio religionis, & defectio ab Apoſtolis, extitit. ſed quæ doctrina de Deo Trino & vno ſemel ab Apoſtolis mundo prædicata & credita fuit, ea vſque ad Nicœni Concilij tempora, conſtans & perpetua perſeuerauit. Imo cùm Arius hanc veritatem Trinitatis diſcinderet, & conſubſtantialem eſſe Patri Filium impiè negaret, tanquam ad rem ante inauditam, & à doctrina ab Apoſtolis tradita prorſus abhorrentem, totus orbis Chriſtianus cohorruit, eamque communi Chriſtianorum nomine condemnauit. Non poteſt igitur negare, Chriſtianos ab Apoſtolis fidem de Deo Trino & vno didiciſſe.

Nicœnum Concilium fidem Trinitatis agnouit

At negat Moſcor: poſſe probari, Patres Nicœni Concilij Fidẽ Trinitatis agnouiſſe. Verùm probatio eſt ſanè luculẽtiſſima. Id enim quod Arius præcipuè negabat, erat, Filium eſſe conſubſtantialẽ Patri, & ex conſequenti eſſe à Patre tam perſona, quàm natura diuerſum. Diſcindebat igitur vnitatem ſubſtantialem Patris & Filij, & ex conſequenti Spiritus ſancti, in qua vnitate eſſentia Trinitatis cõtinetur. Hoc enim eſt, Deum eſſe Trinum & vnum, tres perſonas eſſe vnius ſubſtantiæ & naturæ. Hoc igitur Patres Nicœni tũc cõtra Arium vrſerunt, & conſubſtantialitatem Filij cum Patre aſſerentes, eſſentiam Trinitatis (quæ eſt conſubſtantialitas trium perſonarum) docuerunt. Nam quamuis de Filio tantùm moueretur quæſtio, tamen æquè Filij ac Spiritus ſancti conſubſtantialitate negata, eſſentia Trinitatis ſoluitur: & cõſubſtantialitate Filij reſtituta, quæ ſola tunc negabatur, fides de eſſentia Trinitatis reſtituebatur.

Quanquam Nicœni Patres in ſuo Symbolo declararunt, ſe non ſolùm in Deum Patrem credere, & in Filium eius, ſed etiam in Spiritum ſanctũ, vt plenam de Trinitate fidem abſoluerent. Hoc enim fine Patres illos id feciſſe, teſtis eſt Athanaſius in epiſtola ad Africanos, qui & Concilio interfuit, & vnà cum aliis in condendo Symbolo, Arioque condemnando laborauit: & multa de Trinitate contra Arium, ac eius ſectatores ſcripſit: ita vt ſit ſumma temeritas Moſcorouij, cùm vel Athanaſio fidem temerè abrogat, vel eum mentientem facit, vel ita ignorantem, vt mentem illorum Patrum non agnouerit, vel ita malitioſum vt peruerterit. Nam quod ait Athana-

Digitized by Google

Athanaſiũ id tantùm ratiocinatione colligere, falſum eſt. Nam tanquam præſens & oculatus actarum rerum teſtis, conſiliorumq; conſcius; non tanquam diſputator de fide & doctrina Patrum loquitur: & quamuis ratiocionatione tantùm id collegiſſet, maiori dubio procul fide dignus eſſet, quòd magis Patrum illorum mentem exploratam haberet, quàm Moſcorouius, qui ſine vllo argumento temerè negat Patrum mentem & fidem eam fuiſſe.

An in aliquem credi poſſit, qui non ſit Deus

At enim inquit, non licet colligere ex eo, quòd in aliquẽ creditur, eum verum Deum eſſe; cùm etiam in Sanctos ſuo modo credi aſſerat Bellarminus atque VVuiecus. Etſi igitur Patres Nicœni in Spiritum ſanctum ſe credere profeſſi ſunt; non illico ſequitur, eos Spiritum ſanctum, Deum verum crediſiſſe.

Verùm hanc obiectionem poterat ipſemet ſibi ex Athanaſio diſſoluiſſe. Fidem enim in Deum, quam habebant, illa ratione explicare voluerunt, nempe, Credimus in Patrem, credimus in Filiũ, credimus in Spiritum ſanctum. Quanquam & abſolutè non dicimur credere in aliquem, niſi credendo in illum tanquam bonorum noſtrorum auctorem: quomodo in rebus ad ſalutem ſpectantibus, credimus in ſolum Deum: quia is ſolus eſt ſalutis noſtræ auctor. Rectè enim diſtinguunt Theologi, credere in Deum, credere Deum, credere Deo. Nam credere Deo, eſt, dictis eius fidem habere; credere Deum, eſt, ipſum eſſe Deum credere; credere in Deum, eſt, credere Deum cum tendentia quadam in ipſum, tanquam bonorum noſtrorum auctorem & largitorem. Idcirco enim dicimur, credere mundum; non autem credere in mundũ: quia licet credamus mundum eſſe conditum à Deo; non tamen à mundo ſalutem & cætera bona expectamus, & ideo non credimus tendendo in illum, tanquam in bonorum noſtrorum principium. Quod etiam in familiari ſermone vſu venit, vt eos dicamus credere in aliquem, à quo ſibi omnia pollicentur. Hoc igitur modo in Sanctos abſolutè nos non credimus; quia eos nõ credimus eſſe ſalutis noſtræ & bonorum ſpiritualium auctores: quia tamen precibus ſuis, apud Deum ſunt ſalutis noſtræ promotores; ideo ſuo modo & ſecũdùm quid dici poteſt, nos credere in illos, iuxta illud Pauli ad Philemonem 5. *Fidem quam habes in Domino Ieſu & in omnes Sanctos.*

Fides in Sanctos

Inſtantia ſoluitur

Cùm verò Moſcorouius dat inſtantiam in Chriſto, in quem cre-

Digitized by Google

dere & ſperare iubemur, Ioan: 3. 14. Rom: 15. 12. quem tamen ait non eſſe illum Deum verum: quòd in priori teſtimonio dicitur exaltandus in cruce: in poſteriori dicitur, exoritura radix Ieſſe: an non manifeſtè petit principium, & dat inſtantiam, quæ & falſa eſt, & ab Aduerſario non admittitur? Neque probationes illæ de exaltatione & ortu radicis Ieſſe probant Chriſtum non eſſe Deum, ſed ſolùm probant hominem quoque futurum, ratione naturæ, quam & Ieſſe accepturus erat, & ſecundùm quam in cruce exaltandus fuerat. quòd verò præter hominem, non ſit etiam Deus, id nullo modo ex dictis teſtimoniis, ſed ex falſa Moſcorouij ratiocinatione ſequitur.

Porrò Moſcorouius, vt neget Chriſtianos fidem de Deo trino & vno accepiſſe, ſic argumentatur, Apoſtoli prædixerunt poſt diſceſſum eorum, ingreſſuros fuiſſe lupos rapaces, & eos qui peruerſa docturi eſſent. id quod & Egeſippi teſtimonio confirmat. Ex quo infert, ex fide eorum, qui poſt Apoſtolos fuerunt, puram veritatem quærendam non eſſe, ſed ex ipſis monumentis Apoſtolorum, quod & Origenis & Hieronymi auctoritate confirmat, qui docent ex Canonicis ſcripturis Spiritus ſancti doctrinam petendam eſſe. At nihil agit Moſcorouius. Etenim nos ex fide Chriſtianorum primorũ, ea ſolùm ratione concludimus veram fidem, quatenus ex doctrina Apoſtolorum proceſſit, ſiue viua voce tradita, ſiue ſcriptis cõmendata. Quocirca non de hoc eſt inter nos quæſtio, an aliqua doctrina pro ſacra & ſalutari habenda ſit, quam Apoſtoli non docuerint, hoc enim eſt extra omnem controuerſiam; ſed an ea doctrina pro Apoſtolica habenda ſit, quæ primis tribus ſeculis poſt Apoſtolos in toto mundo viguit, nec in alium authorem, præterquam in Apoſtolos, qui totum mundum fide illuſtrarunt, referri poteſt. Nos enim ita eſſe, euidentiſſimè probamus; Aduerſarij improbare ſine ſumma temeritatis ac impudentiæ nota non poſſunt.

Ex fide primorũ Chriſtianorũ probatur vera fides.

Nam cùm prouocant ad ſcripta Apoſtolica, primùm falſo principio nituntur, Apoſtolos eo conſilio ſcripſiſſe, vt omnia fidei dogmata, ſcriptis conſignarent, ſed potiùs vt quæſtiones, quæ tunc oriebantur, epiſtolis datis diſſoluerent.

Deinde admiſſo, quod omnia ſcriptis Apoſtolicis comprehenſa ſint, adhuc argumentum noſtrum efficaciter aduerſarios vrget: nempe vt illa ſit verior cenſenda ſcriptorum Apoſtolicorum interpretatio,

Digitized by Google

pretatio, quæ eſt Fidei primorum illorum Chriſtianorum toto orbe idem credentium, & fidem ſuam non in alium authorem quàm in Apoſtolos referentium, conformis: quàm illa, quæ cum fide primorum illorum ſeculorum è diametro pugnat. Fides enim illa primorum ſeculorum Apoſtolica eſt, cùm in alium authorem quàm in Apoſtolos referri nequeat. Quocirca & ſcriptorum Apoſtolicorum ſecundùm fidem eiuſmodi interpretatio, Apoſtolica quoq; cenſeri debet. Qualem fidem de Deo Trino & vno cùm primis illis ſeculis extitiſſe probemus, an non æquiſſimo iure obtinemus, fidem noſtram Apoſtolicam, fidem Arianam pſeudoapoſtolicam eſſe? Non igitur Canonicis ſcripturis credere nolumus, ſed eas non Arianorum, ſed priſcorum Chriſtianorum, qui ab Apoſtolis edocti ſunt, ſenſu interpretari & intelligere volumus, cùm vt dixi, priſcorum illorum Fides, alium præter Apoſtolos auctorem non agnoſcat. Porrò ita nobiſcum agunt Aduerſarij, ac ſi ſcripta Apoſtolica pro ipſis ſint, non pro nobis: cùm nos & Apoſtolica ſcripta contra illos vrgeamus, & interpretationem Apoſtolicam, quam illi in toto mundo fidelium mentibus docendo impreſſerunt, vanis & ex capite cuiuſque depromptis commentis præferamus.

Cùm verò ait Moſcorouius, ſtatim poſt Apoſtolorum tempora doctrinam Fidei impuram redditam: id ſi ita intelligat, vt ea nuſquam fuerit pura, ſed conciderit penitus, falſum eſt: *Portæ enim inferni non præualebunt aduerſus eam,* nec Satanas Chriſtum ſuperabit, aut regnum eius deſtruet vnquam. Quod ſi intelligat, nouis exortis hæreſibus, eam in aliquibus impuram eſſe redditam, id verum eſt, ſed cauſæ noſtræ nil præiudicat. Etenim quæcunque hæreſes poſt Apoſtolorum tempora exortæ ſunt, eas ſcriptores Eccleſiaſtici cum ſuis auctoribus diligenter notarunt, inter quas nulla fuit, quæ Fidē Trinitatis induxerit, ſed quæ eam cum Ebione & Cherinto impugnauit. Non igitur per doctrinam de Trinitate, ſed per doctrinam cōtra Trinitatem fides Chriſtiana & Apoſtolica eſt impura reddita: ſicut & modo per hæreſim Socinianam, ita impura eſt reddita, vt nunquam impurior fuerit; nulla enim hæreſis tot errorum monſtra protulit, ſicut hæreſis Sociniana Arianorum Racouienſium, vt ex noſtris libris aduerſus eam editis perſpicuum eſt. *Fides Apoſtolica non concidit.*

Vrget præterea Moſcorouius, primorum ſeculorum Patres fi- *Primæui Patres Deum*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

trinum & vnum crediderunt.

dem de Deo Trino & vno minimè habuiſſe, quod ex Ignatij, Iuſtini, Irenæi, Tertulliani verbis quibuſdam obſcurioribus (omiſſa per fraudem clara & expreſſa doctrina, quam dicti Patres de Trinitate ſcriptis ſuis conſignarunt) probare nititur, ſed fruſtra. Nam loca obſcuriora dictorum Patrum per clariora explicanda ſunt, neque clariſſima eorum doctrina, propter obſcuros aliquot loquendi modos neganda eſt, ſed ſecundùm mentem & ſenſum illorum explicanda. Quod cùm à Bellarmino adeò egregiè ſit præſtitum, mirum eſt Moſcorouium cum ſuis velle iſta recoquere, & ac ſi non ſatis dilucidè explicata eſſent, in medium adducere.

B. Martialis Chriſti diſcipuli de Trinitate teſtimonium.

Non omittam tamen hic, vel vnius de tanto numero teſtimonium proferre, ex quo liquidò appareat, nullum dubium iure moueri poſſe de fide illorum primorum Patrum, in Deum trinum & vnū. Id verò eſt B. Martialis, qui ſe & Chriſti diſcipulū & ſpectatorem illius miraculorū, reſuſcitationiſq; Lazari in epiſtola ad Toloſſanos fatetur. Is itaque in epiſtola ad Burdegalenſes de fide Trinitatis ita ſcribit, cap: 10. *Itaq; nihil diſcretum in Diuinitate Trinitatis ſentiatis: quia nobis vnus & idem Deus, qui cuncta creauit Pater: & vnus & idem Dominus, per quem omnia facta ſunt, Filius eius Ieſus Chriſtus, & vnus idemq; Deus Spiritus S. in quo omnia ſubſiſtunt. Et hæc in perſonis tria diuiſa, in Diuinitate Deus vnus indiuiſus.* & ibidem: *De myſterio Trinitatis, quàm bonus, & beatus, & ſuauis Deus, Rex Regum per noſtram adnunciationem reuelare dignatus eſt vobis: ſcitote intelligentes, quia vltra omnem ſenſum Angelicarum poteſtatum & virtutum vera Diuinitas excellit, quam impoſſibile eſt etiam à ſpiritibus Angelicis comprehendi. Sola enim Trinitas in Diuinitate vnitatis ſeipſam nouit.*

En quàm clarè & expreſſè, quamq; altè, Chriſti ipſius diſcipulus de Trinitate ſentit, vt pudere meritò debeat Moſcorouium, hæc & ſimilia teſtimonia vel ignorare, vel obſcurare, vel nolle intelligere.

Lucianus.

Iam quod Luciani quoque in Philopatro teſtimonium adduxerim, fidem Trinitatis, quam Chriſtiani tunc docebant, deridentis; id non eo ſpectat, quòd hominis ethnici & Chriſtianæ religionis deſertoris auctoritatem magni faciam, ſed vt oſtendam Arianos noſtros, ea de primorum illorum Chriſtianorum fide ignorare, quæ inimici hoſteſque ipſi Chriſtianæ religionis non ignorarunt, ſed ea varijs ludibrijs exagitarunt.

Adieceram & aliud argumentum ex hymno Glorificationis petitum,

Digitized by Google

titum. Etenim hymnum illum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* fuiſſe in Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus vſitatum, teſtatur Baſilius libro de Spiritu S. c.7.27.29. & ſanè meritò, cùm eius origo à forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta petatur: *Baptiſantes*, inquit, *eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* neq; enim ea ſimplex mentio Trinitatis eſſe credenda eſt, ſed cum inuocatione ad remiſſionem peccatorũ conſequendam. In qua re ſumma quædam Glorificatio Patris, Filij, & Spiritus S. continetur, cùm eorum Diuina poteſtas agnoſcatur, quam habent ad remittenda nobis peccata. *De Hymno glorificationis.*

Ineptè verò Moſcorouius id refellit, cùm ait, res fidei non ex Baſilij teſtimonio, ſed ex ſcriptis Apoſtolorum ſtabiliendas eſſe. Nõ enim aduertit homo hæreticus, nos Baſilij teſtimonio non res fidei probare, ſed vſum Eccleſiæ in hymno glorificationis decantando, ab ipſis vſque Apoſtolorum temporibus, ex tanti Patris monumentis deducere.

Neq; minus ineptè refutat, id quod à me aſſertum eſt: Hymno glorificationis, in Concilio Nicœno additum eſſe contra Arianos, *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* Arianorum enim erant illæ voces impiæ de Filio; Erat, quando non erat: ex non exiſtentibus factus eſt. Contra has igitur blaſphemas linguas adiectum eſt: *Sicut erat in principio*: vt ſemper & ab æterno Filij cum Patre gloria crederetur. Id quod & ex Sozomeno, & ex Concilio primo Vaſenſi, paulò poſt Concilium Nicœnum celebrato, probat Baronius in Anno Chriſti 325. *Concilium Vaſenſe.*

Ait Moſcorouius id refelli Actis Concilij Nicœni, in quibus nihil tale ſcriptum inueniatur. At ſcire debuit, Acta eſſe in Concilio Nicœno plurima, quæ non niſi ex Hiſtoricis illorum temporum & Patrum teſtimoniis habentur: è quorum numero id quoque vnum eſt. Addit Concil: Vaſenſe primum non ſtatim poſt Concil: Nicœnum celebratum, ſed pluſquam centum annis poſt. Verùm id ex Adone Hiſtorico refellit Baronius, cùm ſcribit ſub Nectario Epiſcopo Viennenſi, qui etiam eidem Synodo interfuit, temporibus Conſtantij Imperatoris, circa Annum D. 337. contigiſſe.

Ait adhuc, id non in primo, ſed in ſecundo Concilio Vaſenſi decretum eſſe: ſed & hic iterum labitur. Vtriuſque enim Synodi canones confuſi habentur: cum verò, de quo agitur, ad primum Vaſenſe

ſenſe

ſenſe pertinere, ex Adone Hiſtorico manifeſtum eſt. Conſulat melius Hiſtoricos Moſcorouius, cùm aliquid in Hiſtoria reprehendere vult, nec ſuis Racouienſibus fidem habeat. At maluit Moſcorouius Rubricas Miſſalis Cracouienſis legere, eaſq; contra proprium ipſarum ſenſum torquere, cùm in iis dicitur, ad Spiritum ſanctum orationes ibidē conſcriptas, non dirigi; quia in iis Spiritus ſanctus petitur vt donum à Deo nobis largiendum; indę verò ineptè infert, Miſſale Cracouienſe à Fide Trinitatis receſſiſſe. quomodo enim id verum eſſe poteſt: cùm in eo Miſſali, Miſſa de Spiritu ſancto & Trinitate habeatur? At ineptire libuit Moſcorouio, cùm, quid ad rem diceret, non haberet.

Arianos abſurdè negare, Baptiſmum aqua conferri debere, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Cap: II.

NOn negat Baptiſmum aquæ Moſcorouius, cùm ex Actibus Apoſtolorum ſatis conſtet, Apoſtolos aqua baptiſaſſe credentes, & factum Philippi cum Æthiope Eunucho luculenter id teſtatur, Act:8.38. Negat nihilominus duo; Vnum eſt, Apoſtolos baptiſaſſe aqua, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Semper enim, inquit, leguntur, baptiſaſſe in nomine Domini Ieſu. Act: 2. & 8. & 10. & 19. Alterum eſt, Baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, à Chriſto inſtitutum, non eſſe Baptiſmum aquæ, ſed doctrinam. Vtrumque ſanè abſurdiſſimè.

Baptiſmus in nomine Chriſti, eſt etiam in nomine Patris & Spiritus ſancti.

Nam quod ad Apoſtolos attinet, ineptiſſimè concluditur, ex eo, quòd dicantur baptiſaſſe in nomine Chriſti, Baptiſmum illum non fuiſſe, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Nam etiamſi baptiſaſſent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, rectè diceretur baptiſaſſe in nomine Chriſti: tum quia in Baptiſmo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, continetur etiam nomen Chriſti: tum quia Baptiſmus in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. cùm ſit à Chriſto inſtitutus & mandatus, meritò dici poteſt Baptiſmus Chriſti: ſicut Baptiſmus à Ioanne inſtitutus & prædicatus, dicitur Baptiſmus Ioannis: tum quia, ſicut cùm legimus in nomine Chriſti nobis remitti peccata, non excluditur nomen Patris & Spiritus ſancti: in quorum etiam nomine remitti nobis peccata dubium non

um non eſt: ita cùm dicitur Baptiſmus conferri in nomine Chriſti, non excluditur nomen Patris & Spiritus S. Eſt enim peculiaris ratio, cur dicatur in nomine Chriſti, quamuis ſit etiam in nomine Patris, & Spiritus ſancti; vel quia à Chriſto inſtitutus eſt, eiuſq; iuſſu atque auctoritate confertur: vel vt opponatur Baptiſmo Ioannis: vel ad commendationem & exaltationem nominis Chriſti, citra tamen excluſionem Patris & Spiritus ſancti.

Ex quo patet nullo modo aduerſarios concludere poſſe, Baptiſmum in nomine Chriſti, eo quòd fuerit in nomine Chriſti, non fuiſſe in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: imò oppoſitum ex eo concludi debet. Baptiſmus enim in nomine Chriſti collatus, non niſi ea forma, quam Chriſtus præſcripſit, conferri debuit. Atqui præſcribens Chriſtus formam Baptiſmi à ſe inſtituti, ait: *Baptiſantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Hac igitur Forma, Baptiſmus in nomine Chriſti conferri ab Apoſtolis debuit, & reuera collatus eſt, niſi dicamus Apoſtolos, Chriſti inſtitutionem neglexiſſe.

Nomen Chriſti, Moſcorouius inquit, non eſt nomen Patris & Spiritus ſancti: ergo nec Baptiſmus in nomine Chriſti, eſt Baptiſmus in nomine Patris & Spiritus ſancti. Verùm iam oſtenſum eſt, non ea ex cauſa dici Baptiſmum in nomine Chriſti, quòd ſolùm nomen Chriſti contineret, & excluderet nomen Patris & Spiritus S. ſed alias ob cauſas peculiares, ſicut peculiari ratione in nomine Chriſti dicitur fieri remiſſio peccatorum, etiamſi ea quoq; fiat in nomine Patris & Spiritus ſancti.

At enim inquit, Baptiſmus ille in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti à Chriſto inſtitutus, non eſt Baptiſmus aquæ. Verùm vt omittam, id eſſe contra omnium fidelium, qui hucuſque à temporibus Apoſtolorum fuerunt, ſenſum: item contra Canones Apoſtolorum, in quibus can: 19. damnantur ij, qui aliter, quàm in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptiſarent contra Canones tot Conciliorum. quod ſanè ad redarguendam & conuincendam iſtorum hominum ſummam temeritatem & impudentiam ſatis eſſet: aliis quoque argumentis ex ſcriptura petitis, idem demonſtrari poteſt. Chriſtus enim non duos Baptiſmos inſtituit, ſed vnum. *Vnus enim Deus, vna fides, vnum Baptiſma.* Epheſ: 4. ergo Baptiſmus in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, aut non erit Baptiſmus à Chriſto inſtitu-

Baptiſmum in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. eſſe baptiſmum aquæ probatur.

Digitized by Google

Vnus baptiſmus à Chriſto inſtitutus.

inſtitutus, aut erit vnus cum Baptiſmo aquæ, quem in nomine Chriſti, Apoſtoli conferebant. alioqui ſi ſit diuerſus à Baptiſmo aquæ, nō erit vnum Baptiſma, ſed duo, contra ſcripturas. Neque enim ſi alius Baptiſmus à Chriſto inſtitutus eſſet, Paulus dicere auſus fuiſſet, vnum tantùm eſſe Baptiſma.

Baptiſmus à doctrina diſtinctus.

Adhæc Paulus 1. Cor: 1. 16. ait: *Non enim miſit me Dominus baptiſare, ſed Euangelizare.* non quòd non miſerit etiam baptiſare (ſimul enim miſit ad vtrùmque, tam ad docendum, quàm ad baptiſandum; *Docete*, inquit, *omnes gentes, baptiſantes eas. &c.*) ſed quòd non præcipuè ad baptiſandum, ſed ad Euangelizandum miſerit. Vnde etiam Paulus ait ibidem; ſe non ſolùm euangelizaſſe, ſed etiam pleroſque baptiſaſſe: *Gratias.* inquit, *ago Deo, quòd neminem veſtrum baptiſaui, niſi Criſpum & Caium. Baptiſaui autem & Stephanæ Domum, cæterùm neſcio ſi quem alium baptiſauerim:* Ergo Paulus clariſſimè diſtinguit, Euangelizare & Baptiſare, atque idcirco cùm Dominus miſit Apoſtolos, vt docerent omnes gentes, baptiſantes eas in nomine Patris, non intellexit de Baptiſmo Euangelij & doctrinæ, ſed de Baptiſmo aquæ: alioqui ſi prædicatio Euangelij ex Chriſti inſtitutione eſſet ille Baptiſmus, ad quem mittebat tunc Apoſtolos; non rectè dixiſſet Paulus: *Non miſit me Dominus baptiſare, ſed euangelizare* idem enim eſſet euangelizare & baptiſare. Ex quo ſequitur, Chriſtùm, cùm mitteret Apoſtolos ad euangelizandum & baptiſandum, vti habetur Matth: 28. nomine Baptiſmi, intellexiſſe Baptiſmum aquæ ab euangelizatione diſtinctum. eadem enim miſſione, qua tunc miſerat alios Apoſtolos ad euangelizandum & baptiſandum, miſit & Paulum: ſiquidem illum ad eundem Apoſtolatum vocauit. Patet ergo iam, miſſionem illam Apoſtolicam ad euangelizandū & baptiſandum, quæ habetur Matth: 28. non poſſe intelligi de Baptiſmo doctrinæ, ſed de Baptiſmo aquæ. Sic enim Paulus ſuam & aliorum Apoſtolorum miſſionem interpretatus eſt. Eadem enim fuit miſſio Pauli, quæ aliorum Apoſtolorum: ſicuti & eadem vocatio, idem munus, idem Apoſtolatus.

Deinde, verba ipſa Chriſti, Matth: 28. oſtendunt duo diuerſa Apoſtolis eſſe impoſita, docere & baptiſare: ſicut & cùm additur: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit;* non eſt idem credere & baptiſari; ſed poſtquam quis crediderit, debere etiam baptiſari. Quo-

circa

Digitized by Google

circa & docere credenda, non erit idem quod baptiſare. Prius enim doceri iubentur, vt credant, tum baptiſari poſtquam crediderint: ita enim & Eunucho petenti Baptiſmum à Philippo dictum eſt: *Si credis ex toto corde, licet.* Actor: 8.

Accedit, quòd nuſquam in ſcriptura, doctrina Euangelij dicitur Baptiſmus: nec vllibi pro eodem accipiuntur, euangelizare & baptiſare: neq; qui crediderunt in Christum antequam aqua tingerentur, habebantur pro baptiſatis, ſed potiùs pro non baptiſatis; ideoq; remittebantur ad Baptiſmum. vt Act: 2. cùm illa tria millia credidiſſent Euangelio, & quærerent à Petro, quid faciemus? non pronunciauit Petrus, illos iam eſſe baptiſatos per prędicationem Euangelij, ſed, *pœnitentiam,* inquit, *agite, & baptiſetur vnusquiſq; veſtrum in remiſsionem peccatorum.* Non igitur Chriſtus Euangelium voluit eſſe & dici Baptiſmum: alioqui talem Baptiſmum iuſſu Chriſti, Apoſtoli quoque prædicare debuiſſent. quod quia non fecerunt, alium Baptiſmum præter aquæ, non agnouerunt. Quocirca vbicunq; in ſcriptura Baptiſmi à Chriſto inſtituti mentio fit, ſemper Baptiſmus aquæ intelligitur. Hinc Eph: 5. dicitur Chriſtus, *mundaſſe Eccleſiam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Lauacrum aquæ, Baptiſmum aquæ: verbum vitæ, prædicationem Euangelij deſignat: quæ etiam duo Chriſtus Apoſtolis mandauerat, Matth: 28. vt & docerent, & baptiſarent. Similiter 1. Pet: 3. dicitur, quòd *ſicut diebus Noe octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam,* aqua in ſublime arcam extollente: *ita & nos ſimilis formæ* (quia in aqua) *ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum* hoc eſt, noſtrum Baptiſma ſimilis formæ exiſtẽs, nempe in aqua ſaluos nos facit; nõ quòd ſit carnis ſordium ablutio, ſed ſordium conſcientiæ.

Baptiſmi aqua vſus tẽpore Apoſtolorum.

Alium Baptiſmũ præter aquæ Apoſtoli non prædicârunt.

Præterea, cùm Paulus Epheſi inueniſſet diſcipulos, qui non ſolùm Spiritum S. non acceperant, ſed neque ſi eſſet Spiritus S. audiuerant, admiratus ait: *in quo ergo baptiſati eſtis?* nempe ſignificans eos Spiritum ſanctum ignorare non potuiſſe, qui in nomine Spiritus ſancti baptiſati eſſent; cõferebatur ergo Baptiſmus Chriſti, & in nomine Spiritus ſancti.

Baptiſmus in nomine Spiritus S.

At oppoſitum ait concludi Moſcorouius: Si enim in nomine Spiritus S. baptiſati fuiſſent, non reſpondiſſent ſe non audiuiſſe de Spiritu S. cùm igitur ita reſponderint, perſpicuum eſt in nomine Spi-

ritus S. baptiſatos non fuiſſe. Verùm nec argumentum noſtrum, nec verba S. Pauli intellexit Moſcorouius. Neque enim dicimus, diſcipulos illos fuiſſe baptiſatos Baptiſmo Chriſti, ſed potiùs non fuiſſe. idque eo argumento: Quod ſi fuiſſent baptiſati Baptiſmo Chriſti, ignorare Spiritum S. non potuiſſent, vt Paulus argumentatur: ſiquidem in eius nomine baptiſati fuiſſent. Ex quo apparet illos diſcipulos fuiſſe credentes, ſed nondum baptiſatos Baptiſmo Chriſti. Qui enim Baptiſmum Chriſti recipit, non poteſt ignorare Spiritum S. quippe cùm is in nomine etiam Spiritus S. conferatur. Deinde & illud apparet, Baptiſmum Chriſti non eſſe doctrinam aut prædicationem Euangelij: illi ſiquidem credentes audiuerant & crediderant doctrinam Euangelij, erantque diſcipuli Chriſti: neque tamen dicũt ſe fuiſſe baptiſatos, niſi Baptiſmate Ioannis. Non igitur intelligebant, doctrinam Chriſti eſſe & dici Baptiſmum; nec Paulus dixit illos iam fuiſſe baptiſatos Baptiſmo Chriſti, ſed tunc primùm illis conferri Baptiſmum mandauit.

Baptiſmus aquæ neceſſarius ad ſalutem.

Denique Chriſtus prædixit, Baptiſmum ſuum, ſine quo nemo videre poteſt regnum Dei, futurum eſſe ex aqua & Spiritu S. Ioan: 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire regnum Dei*, nempe Spiritum S. aquæ vim ad regenerandos homines præbente. Non igitur Baptiſmus Chriſti eſt doctrina Euangelica, ſed eſt Baptiſmus aquæ, conſequens doctrinam Euangelicam, in Spiritu S. collatus. Vnde & mox ibidem dicitur, Chriſtum baptiſaſſe Baptiſmo aquæ, licet non ipſe, ſed diſcipuli eius baptiſarent, Ioan: 3. 1. qui Baptiſmus proculdubio erat diſtinctus à Baptiſmo Ioannis; per eum enim fiebant diſcipuli Chriſti; imò ipſi Apoſtoli hoc Baptiſmo erant baptiſati, vt docet Auguſt: epiſt: 108. Erat etiam in Spiritu S. neque enim in alio diſtinguebatur Baptiſmus Chriſti à Baptiſmo Ioannis, niſi quòd ille eſſet in Spiritu S. hic non item: & de Chriſto Ioannes teſtimonium perhibuit, ipſum non aliter baptiſaturum, niſi in Spiritu S. *hic eſt*, inquit, *qui baptiſat in Spiritu S.* Ioan: 1. Et quamuis die Pentecoſtes Chriſtus baptiſauerit diſcipulos Spiritu S. non in aqua, ſed in igne, Act: 1. tamen Baptiſmus, quem pro fidelibus baptiſandis inſtituit, erat Baptiſmus ex aqua & Spiritu S. vti in locis citatis, Ioan: 3. 5. Eph: 5. 1. Pet: 3. perſpicuum eſt.

Digitized by Google

Aqua & Spiritus S. non idem.

Scio Arianos, illa Chriſti verba, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* non de aqua elementari accipere, ſed de aqua ſpirituali, quæ eſt ipſe Spiritus S. At quàm abſurdè, & contra omnium veterum ſenſum! Cùm enim duo requirat Chriſtus ad regenerationem ſpiritualem, aquam & Spiritum S. vt patet ex particula *Et*, ipſi pro eodem accipiunt aquam & Spiritum S.

Aiunt particulam *Et*, exegeticam eſſe. Aſt, vnde id colligunt, aut colligere poſſunt, niſi quod illis ita libeat? etſi enim particula *Et*, quandoque exegeticè accipi poſſit; non tamen paſſim, ſed cùm res ipſa id requirit: quod hic oſtendi nullo modo poteſt. Ad hæc aqua in ſcriptura Spiritum S. deſignat, vt vim habet mundandi & abluendi; non autem vt vim habet generandi: idcirco enim dicitur Spiritus S. aqua munda, Ezech. 36. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini.* At nuſquam dicitur aqua propter generationem. Non poteſt igitur hoc loco, in quo de aqua regenerante agitur, accipi aqua pro Spiritu ſancto; ſiquidem non ſub eo reſpectu aqua in ſcriptura dicitur Spiritus S. Nam quod ait Moſcorouius, ſimul nos ablui & regenerari, id argumentum non ſoluit. Nam etſi ſimul iſta fierent, ſunt tamen formaliter diſtincta, & Spiritus S. non denominatur aqua propter generationem, ſed propter mundationem. Hic verò aqua nominatur, quæ vim regenerandi habeat, non prout habet vim mundandi.

Quomodo id quod eſt ex carne caro eſt?

At enim, inquit Moſcorouius, dixiſſe Chriſtum: *quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* ergo aut aqua denotat Spiritum, aut aqua materiata in Spiritum mutatur: alioqui ex illa Spiritus naſci non poterit. Friuola ſanè argumentatio. Primùm enim Chriſti propoſitio non intelligitur, niſi de carne, quatenus carnali generatione ex ea quid naſcitur. Sic enim quod ex carne naſcitur, caro eſt: non verò de carne, quatenus Diuini Spiritus virtute ad aliquid ſpirituale cauſandum aſſumitur. Sic enim ex carne, Diuino Spiritui coniuncta, & ratione Spiritus, aliquid ſpirituale prouenire & naſci non repugnat, vt innumeris exemplis ſcripturæ manifeſtū eſt. Verbo enim ſuo Chriſtus, quot admirandos & ſupernaturales effectus edebat, tam in corporibus, quàm in animis hominum? & tamen verbum, quid aliud ex ſe, quàm caro erat. Diuina verò virtute vim, ſpirituales & ſupernaturales effectus producendi habebat Spi-

Digitized by Google

ritum S. Chriſtus ſufflando dedit Apoſtolis; Apoſtoli manuum im-poſitione dabant Spiritum S. Deniq; caro Chriſti, nonne caro erat, & tamen ex ea pro nobis in mortem tradita, vita & ſalus mundo pro-genita eſt: & ſanguis eius fuſus eſt in remiſſionem peccatorum. Quo-circa nullo modo negari poteſt, ex carne poſſe aliquid ſpirituale na-ſci, ſed ſpirituali ac Diuina, non carnali ac naturali virtute.

Res corporea poteſt eſſe inſtrumentū ad rem ſpiritualem.

Nam quod ait Moſcorouius, res ſpirituales per media corporea nobis conferri poſſe, non tamen vi eorum nobis dari ſpiritualia, quemadmodum vi aquæ nos dicimus effici regenerationem: non intelligit, ne nos quidem affirmare aquam in Baptiſmo vi ſua na-turali & propria efficere generationem ſpiritualem, ſed virtute ſpirituali ac Diuina per ipſam operante. ſiue aqua cenſeatur eſſe ſolùm morale inſtrumentum, & medium, per quod Deus ſtatuit conferre ſpiritualem effectum; ſiue ſit per modum inſtrumenti phyſici, quòd totam vim ſuam habeat ex Deo. Vtrouis enim modo res corporea ad ſpiritualem effectum adhiberi poteſt. Nam ſi anima rationalis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, corpori com-municatur, quidni virtus ſpiritualis rei corporeæ Diuinitus commu-nicari poſſit? ita vt meritò pro craſſa ignorantia habēdum ſit, quod Moſcorouius ait, rem materiatam non poſſe producere ſpiritualem effectum. Etſi enim id vi ſua non poſſit, poteſt tamen virtute Diuina per modum inſtrumenti, cuius conditio eſt, virtute cauſæ principa-lis operari.

Moſcorouiuſ nō fundat ſe in ſcriptura.

Deinde Moſcorouius non ſolùm propoſitionem Chriſti non intellexit, ſed & ineptam concluſionem ex ea intulit: nempe ſi ex aqua Spiritus naſci debeat, neceſſe eſſe, vt vel aqua Spiritum ſigni-ficet, vel in Spiritum mutetur? Quaſi verò enumeratiò ſit ſufficiens, & tertium quid adiici non poſſit, nempe, ſi aqua, licet ex ſe caro ſit, ex ſpiritu tamen vim habeat ad ſpiritualem effectum producendū. Hoc autem ſi addatur, totam concluſionē Moſcorouij prorſus euer-tit, ſequiturque, ex aqua corporea poſſe Diuinitus, virtute ſpiritus, regenerationem fieri. Fateri igitur debet, ſe nullum habere in ver-bis Chriſti fundamentum, vt aquam, ex qua renaſci nos oportet, o-ſtendat, non eſſe elementum, ſed ipſum Spiritum S. ita vt temere planè, & ſine vlla ratione ab omnium veterum ſenſu in eo receſſerit.

Et ſanè ea certiſſima eſt, & ab omnibus recepta ſcripturas ex-

ponend.

ponendi lex, vt nunquam à propria vocum ſignificatione recedatur, niſi loci circumſtantiæ & res ſubiecta id requirat: alioqui futuram immenſam quandam in ſcripturis exponendis licentiam & peruerſitatem nemo non videt. Cùm igitur hoc loco vox *aqua* propriè aquam elementarem ſignificet, neque quidquam addatur, quod eam ſignificationem, vel immutet, vel alio transferat; conſequens eſt, de aqua elementari locum hunc intelligendum eſſe. *Lex ſcripturæ exponēdi*

Lepidus verò eſt Moſcorouius, cùm ait, vocem *aquæ*, Baptiſmum aquæ natura ſua non ſignificare. Non enim hoc contendimus, ſed dicimus vocem *aquæ*, natura ſua aquam elementarē ſignificare. Admiſſa verè ea ſignificatione, cōſequēter dicimus, eam aquam, ex qua & Spiritu regeneramur, eſſe Baptiſmū aquæ. Baptiſmus enim ablutionem ſignificat: aqua autem nos regenerat, cùm nos abluit.

Quærunt porro Aduerſarij præſidium ex Matth: 3. 11. quo in loco dicitur de Chriſto, *ipſe baptiſabit in Spiritu S. & igni*. Volunt enim ignem idem eſſe, quod Spiritum S. At quibus argumentis id probant? nullis. Nihil enim adduci poteſt, quod cogat, vt ignem eſſe Spiritum ſanctum intelligamus. Prædicitur enim ille Baptiſmus in Spiritu S. qui factus eſt in die Pentecoſtes. vti dicitur Act: 1. *Ioannes quidem baptiſauit in aqua, vos autem baptiſabimini in Spiritu S. non poſt multos hos dies.* Baptiſmus autem ille in die Pentecoſtes fuit in Spiritu S. & igni, deſcendente Spiritu S. in linguis igneis. *Baptiſmus in igne.*

Ridiculè etiam Moſcorouius exigit à nobis probationem, quòd de igne externo, locus Matthæi intelligendus ſit, quaſi verò nobis, non illi, probatio incumbat, qui ex loco Matthæi contra nos argumentatur. Nobis enim ſatis eſt oſtendere, nihil nos cogere, vt eam interpretationem admittamus, cùm longè probabilius exponi poſſit Matthæus de illo igne, in quo Spiritus S. in Apoſtolos deſcendit.

At inquit Moſcorouius, Actor: 2. 3. dicitur, *inſtar ignis*, quo ſignificatur ſimilitudo, non res: quaſi verò multum ad noſtrum propoſitum referat, vtrū ille ignis, in quo deſcendit Spiritus S. fuerit verus ignis, an ſimilitudo duntaxat ignis. Siue enim ob ſimilitudinem, ſiue ob veritatem dicatur ignis, verum erit Spiritum S. deſcendiſſe in igne, & Apoſtolos baptiſatos fuiſſe in Spiritu S. & igni.

Hoc eſt igitur, quo vrgetur Moſcorouius, quòd cùm tam apud Matthæum, quàm in Actis cap. 1. diſcrimen inter Baptiſmum Chri-

ſti &

Digitized by Google

ſti & Ioannis doceatur, nempe quòd Chriſtus baptiſaturus erat, non in aqua ſolùm, ſed & in Spiritu S. qui Baptiſmus præcipuè impletus erat in Pentecoſtes die, vt ibidem dicitur; impletus eſt autem cum igne, conſequens eſt Matth. ad hunc etiam ignem reſpexiſſe. Duo n. loca ſcripturæ cùm de eadem re tractant, ſe ipſa optimè explicant.

Quanquam ſi ea ignis interpretatio Moſcorouio non placeat, non deerit alia, quam plerique Patrum ſunt ſecuti, ignem illum, in quo venturus eſt ad iudicium, & cui traditurus eſt reprobos omnes, intelligentes. quod etiam inſinuat Matth: 3.17. vbi ea de re loquens, ignem inextinguibilem nominat.

Cōfirmatur expoſitio Catholica. Huc accedit, per aquam regenerantem idem apud Ioannem intelligi, quod apud Paulum per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. ad Tit: 3. 5. *Saluos nos fecit*, inquit, *per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* quod etiam Eph: 5. 26. vocat lauacrum aquæ in verbo vitæ, *mundans eam*, ait, *lauacro aquæ in verbo vitæ.* Atqui in his locis dubium non eſt, Baptiſmum aquæ intelligi, cùm & idem ſit Baptiſmus aquæ, & lauacrum aquæ; & ſcriptura doceat Baptiſmum quo ſaluamur, eſſe Baptiſmum aquæ, 1. Pet: 3. *Quod nos ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma.* Quo in loco comparat Petrus Baptiſmum cum aquis diluuij, & ait, quòd ſicut in diebus Noe paucæ animæ ſaluæ factæ ſunt corporaliter per aquam, ſuſtollēte aqua arcam in ſublime: ita noſtrum quoque Baptiſma eſt ſimilis formæ, quia eſt per aquam, & ſaluat nos, non quidem ſordes abluendo carnis, ſed conſcientiam mundando. Et res ipſa loquitur, Apoſtolos aquæ Baptiſmum adhibuiſſe in remiſſionem peccatorum.

Chriſtus venit in aqua & ſanguine. Deinde docet Ioannes, *Chriſtum veniſſe, non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine*, 1. Ioan: 5. 6. quo loco per aquam, aqua Baptiſmi intelligitur; per ſanguinem, ſanguis redemptionis pro nobis fuſus. Cùm autem dicit, non in aqua ſolùm, alludit ad Ioannem, qui ſolùm in aqua venerat, prædicans Baptiſmum aquæ in pœnitentiam. Chriſtus verò non ſolùm in aqua venit, vt Ioannes; ſed in ſanguine. Cùm igitur Chriſtus in aqua idcirco venerit, quòd Baptiſmum aquæ ad nos ſaluandos inſtituerit; quæ temeritas eſt, ea quæ de lauacro aquæ in ſalutē, & de aqua regenerante legūtur in ſcriptura, nolle de Baptiſmo aquæ intelligere, ſed à ſenſu literali & proprio recedendo, ſpiritualem aquam ſine vllo ſcripturæ fundamento confingere?

Nam

Nam cùm ait Moſcorouius, lauacrũ aquæ in verbo vitæ mundare credentes, Baptiſmum verò aquæ, non per verbum, ſed per ſeipſum & per aquam elementarem adminiſtrari; non poſſe igitur lauacrum illud aquæ, pro Baptiſmo aquæ accipi. Fallitur ac errat toto cœlo. Nos enim dicimus, etiam aquæ Baptiſmum in verbo & per verbum mundare, quia nimirum adminiſtratur in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quod eſt verbum vitæ & ſalutis æternæ: neque enim aqua, vt aqua; ſed vt in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti adminiſtrata, vim habet mundandi. Quocirca etiam Paulus Hebr: 10. 22. vtrumque coniungit; *& aſperſionem cordis à conſcientia mala, & ablutionem corporis aqua munda,* quæ eſt, aqua Baptiſmi corpus tangens, animam abluens. Quanquam & hunc locũ Moſcorouius, more ſuo, detorquet, nec de aqua Baptiſmi intelligi vult, cum ſanctis Patribus, ſed de verbo Dei, quod dicitur aqua metaphoricè, & corpus mundans ab inquinamentis carnis, vt ab ebrietate, fornicatione, 2. Cor: 7. 1. At quid opus eſt fingere metaphoras ſcripturis incognitas, cùm ex ſacris literis conſtet, aquam Baptiſmi eſſe illam, qua abluuntur corpora in remiſſionem peccatorum. Act: 2. Act: 22.6. vti infra magis patebit.

Spiritus ſancti Diuinitas à Moſcorouii blaſphemiis vindicatur. Cap: III.

AIt cum ſuo Socino Moſcorouius, Spiritum S. nec Deum eſſe, nec perſonam Diuinam, ſed ſolùm quandam Dei virtutem. Quid ita? nullibi, inquit, in ſcripturis, Spiritus ſanctus dicitur Deus. At quàm inſulſa tantæ rei probatio? num enim de voce hîc agitur, an de re? Si Spiritui ſancto omnia, quæ Dei ſunt, in ſcriptura tribuuntur, an non meritò Deus dicendus eſt? Atque vt alia non attingam, an non Deus eſt, in cuius nomine baptiſamur, in remiſſionem peccatorũ? annè alicuius alterius, præterquam Dei nomine peccata nobis remitti poſſunt? Quòd ſi eum, Deum eſſe oportet, cuius nomine peccata remittuntur; pari ratione & Spiritum ſanctum Deum eſſe neceſſe eſt, in cuius nomine baptiſamur in remiſſionem peccatorum. Nam & qui Deo inferior eſt, is non ſuo, ſed Dei nomine peccata remittere poteſt, tanquam miniſter, accepta à Deo poteſtate. Neque enim alienas offenſas quiſpiam, niſi eius, qui offenſus

Spiritus S. Deus verus.

1. quia in nomine eius baptiſamur.

Digitized by Google

eſt, nomine poteſt condonare: & is in cuius nomine baptiſamur in remiſſionem peccatorum, eſſe talis ac tantus debet, vt peccata nobis remittere poſſit. *2 quis templum habet.* Anné Deus non eſt, qui templum habet & in membris corporibuſque noſtris tanquam in templo ſuo habitat, & vt Deus glorificatur, 1. Cor: 6. Anné Deus non eſt, qui omnia ſcit, *3. omnia ſcit & poteſt.* omnia poteſt, omnia operatur, omnia creauit, qui vbique eſt, immẽſus & infinitus. Hæc porrò omnia Spiritui S. ſcriptura tribuit, 1. Cor: 2. 11. 1. Cor: 12. 11. Pſal: 32. Pſal: 138.

Spiritus S. dicitur Deus At ſi Dei nomen, tributum Spiritui S. requirat Moſcorouius, habet illud Actor: 5. vbi cùm Ananias mentitus eſſet Spiritui S. ait Petrus: *non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Deus ergo dicitur Spiritus S. cui Ananias mentitus eſt.

Euaſio Moſcorouij. Iam ſi reſpondeat Moſcorouius, cùm ea quæ Dei ſunt Spiritui S. tribuuntur, tunc Spiritum Dei accipi pro ipſo Deo, refelli ex ſcripturis poterit, quæ Spiritum illum Dei, qui in Deo eſt, & cui ea quæ Dei ſunt tribuuntur, dicunt à Patre dari, mitti, procedere. At is qui mittitur, datur, procedit ab aliquo, non eſt is ipſe, à quo mittitur, *Spiritus S. diſtinguitur à Patre.* datur, procedit. Non poteſt igitur Spiritus S. eſſe is ipſe à quo mittitur, datur, procedit. Is enim Spiritus nobis à Deo datur, qui in ipſo eſt, ſicut ſpiritus hominis eſt in homine: quique ſcrutatur omnia etiam profunda Dei, 1. Cor: 2. 10. qui etiam propterea, quòd ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei, dicitur Spiritus veritatis, & docens omnem veritatem, & non loqui à ſemetipſo, ſed audita loqui & annunciare, Ioan: 16. 13. Is igitur Spiritus dicitur dari, mitti, procedere à Patre: vt ex iiſdem locis cõſtat, ac proinde eſt diſtinctus à Patre.

Ad hæc ille Spiritus, qui eſt largitor omnium bonorum, eſt in ipſo Deo ſubſtantialiter. Spiritu enim ſuo Deus eſt principium bonorum noſtrorum. At qui hunc Spiritum nobis dat, vt dicitur Rom: 5. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* vbi non ſolùm dona dicuntur diffuſa in cordibus, ſed & Spiritus S. largitor donorum, & diffundens charitatem, dicitur datus. Ergo Spiritus ille, qui eſt ſubſtantialiter in Deo, cuique omnia, quæ veri Dei ſunt, competunt, dicitur nobis datus, & ex conſequenti ab eo, à quo datur, mittitur, procedit, eſt diſtinctus, non natura Diuina, ſed ſubſiſtentiâ & perſonâ. Spiritum enim ſanctum eſſe perſonam, vel ex eo dubitari non debet, quòd, vt paulò ante docuimus, in nomine eius

baptiſe-

Digitized by Google

baptiſemur. Non enim in nomine alicuius quid fieri dicitur, niſi ſit ille perſona. Verùm tria illa argumenta pro Diuinitate Spiritus S. à Patre Skarga, Moſcorouio obiecta, quæ ipſe nequicquam eludere conatur, expendamus.

Primũ argumentũ eſt, Spiritus S. in Deo eſt, vt docet Paulus, 1. Cor: 2.11. vbi cõparat Spiritũ Dei cum ſpiritu hominis. *Quis enim hominũ ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* cùm igitur quicquid in Deo eſt, Deus ſit, conſequẽs eſt Spiritũ S. eſſe Deum. Maximè cùm Paulus ita velit eſſe in Deo Spiritum S. ſicut ſpiritus hominis eſt in homine, ac proinde non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter: quia, non vt accidens Dei, ſed vt quid conſubſtantiale Deo. Reſpondet Moſcorouius, multa eſſe in Deo, quæ Deus non ſunt. Nam & decreta Diuina fuerunt in Deo, antequam in actum venirent (fuerunt enim actiones Dei, quas in agente eſſe oportet) non fuerunt tamen eſſentia Diuina, quia fuerunt effecta eſſentiæ Diuinæ. Nihil autem prorſus, idem ſuiipſius effectũ eſt, vti nec cauſa. id enim contradictionẽ inuoluit. O præclarum Theologum, qui ita Deum ſua decreta efficere putat, ſicut homines: nempe producendo in ſe, ipſos actus, qui ſint res ab eſſentia diuerſæ, & accidentia eſſentiæ. An non craſſa & Deo prorſus indigna eſt hæc de Deo exiſtimatio? Deus enim accidentia recipere nulla poteſt: id enim & ſimplicitati ipſius & omnimodè perfectioni repugnat. At ſi Dei decreta non ſint eſſentia Dei, ſed res ab eſſentia diuerſæ, accidentia proculdubio erunt: id enim dicimus accidens, quod rei conuenit extra eius eſſentiam. Erunt igitur in Deo accidentia. Quod ſi fortè tam graue abſurdum admittere non verebitur Moſcorouius, admittat etiam Diuinam eſſentiam, non eſſe ex ſe omnimodè perfectam & infinitam: quippe quæ accidentibus perficiatur. Similiter nec eſſe omnino immutabilem: mutabitur enim ſecundùm accidentia, quibus eſt ſubiecta. quis enim prohibeat accidens auferri à ſubiecto, cùm hæc ſit eius eſſentia, vt poſſit adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem? Non ita ſcriptura de Deo ſentit, vt variari & immutari in plures formas poſſit, ſiue eſſentiales, ſiue accidentarias. *Cœli enim peribunt, tu autem permanebis,* inquit Propheta: *mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* & Iacobus in ſua epiſtola de Deo ſcribit, *apud quem non eſt tranſmutatio, neq; viciſſitudinis obumbratio.*

Argumentũ pro Diuinitate Spiritus S. expenditur.

Craſſa Moſcorouij Theologia.

Decreta Diuina nõ ſunt accidentia Dei.

In Deo accidentia nulla

Digitized by Google

Ad hæc decreta Diuina, nihil aliud ſunt, quàm ſcientia & voluntas Diuina; ſi igitur illa erunt accidentia, ſcientia quoque & voluntas Dei erit accidens. quo quid falſius? Hinc enim ſequitur, Diuinam eſſentiam ex ſe imperfectam atque inopem eſſe, & perfectionem ſcientiæ ab accidentibus mutuare. quod ſi attributa & proprietates Diuinæ ſint idē cum eſſentia, vti aſſerere videtur Moſcorouius, cur decreta quoque Diuina, quæ non ſunt quid à ſcientia & voluntate Dei diuerſum, non cenſeantur idem cùm eſſentia?

Decreta nō ſunt effecta Diuina.

Iam & illud, quàm alienum eſt à vera Theologia, dicere, decreta Diuina, eſſe effecta eſſentiæ Diuinæ. Non enim decreta Diuina, ſunt aliqua accidentia, quæ effici à Deo debeant, vti oſtenſum eſt; neque ſi efficerentur, ſine mutatione eſſentiæ Diuinæ effici poſſent: imò & ſcientia & voluntas Diuina, cùm à decretis non diſtinguantur, eſſent etiam effecta eſſentiæ Diuinæ; nec Deus eſſet ſuum velle, & intelligere, quod nec Ariſtoteles, nec alij gentiles Philoſophi negare ſunt auſi.

Porrò cùm Moſcorouius ait decreta eſſe quidem effecta eſſentiæ Diuinæ, neque tamen eſſe creata: quippe cùm nihil in Deo creatum eſſe poſſit: nonne ſeipſum euertit? Sicut enim creatura quid in Deo eſſe non poteſt: ita neque factum: nam ſicut id, quod creatum eſt, ex nihilo eſt: ita quod factum eſt, ex aliqua materia eſt. Deus autem nullius rei materia eſſe poteſt. Quare id quod in eo eſt, factum dici nequit: & ſicut Deus nulla ex parte creatus dici poteſt: ita neq; factus. Verùm non intelligit Moſcorouius, quomodo decreta Diuina, ſint in Deo, & nō ſint effecta eſſentiæ ipſius. Explicant id Theologi noſtri ſubtiliſſimè. Etenim cùm certum ſit, Deum nullis accidentibus, quæ in ſe efficiat, eſſe ſubiectum; certum quoque eſſe volunt, decreta Diuina, nec eſſe Dei accidentia, nec effici à Deo. Si enim efficerentur, eſſent eius accidentia. Aiunt igitur, nulla re noua Deo accedente, Deum liberè decernere hoc vel illud, nec mutatione voluntatis, ſed libera terminatione eiuſdem ad hoc vel illud obiectum. de qua re ſcripta eorum (ſi diſcere cupit, atque in hac materia ſapientiùs loqui) conſulat Moſcorouius. Neque enim id à Racouienſibus ſuis facilè addiſcet. Mihi interim ſatis eſt, oſtendiſſe, ſine vlla effectione id fieri; ſicut neque cùm Deus aliquid cognoſcit, aut vult, efficiendo cognitionem & voluntatem id facit, ſed ipſe eſt ſuū cognoſcere, ſuum velle.

At,

Digitized by Google

Quidquid in Deo eſt, Deus eſt.

At, inquit Moſcorouius, illam propoſitionem quidquid in Deo eſt, Deus eſt; non eſſe propoſitionem Prophetarum, aut Apoſtolorum. Ineptè ſanè: quaſi quòd ex iis, quæ Prophetæ & Apoſtoli de Deo docuerunt, neceſſariò deducitur, in Prophetas & Apoſtolos referri non debeat. Talis autem eſt hæc propoſitio, quam ex infinita perfectione Diuina & immutabilitate in ſcripturis aſſerta, paulò ante deduximus: Ad quod etiam facit, quod S. Ioannes dicat, Deum eſſe charitatem, 1. Ioan: 4. 8. 9. 10. quod loquendi modo charitatem indicat non eſſe accidens, ſed ipſam Dei eſſentiam. Non enim accidentia eo modo affirmare de ſubiectis poſſumus. Nunquam enim dicimus, homo eſt albedo; ſed albus. At Deus dicitur ipſa charitas. Nam quod exponit Moſcorouius, Deum dici charitatem: quia nobis charitatem in mittendo Filio ſuo demonſtrauit, id minimè ſatisfacit. Non enim quicunque demonſtrat erga aliquem charitatem, illico dicitur eſſe charitas: ſed maius quid de Deo innuit Ioannes, nempe, Deum non ſolùm demonſtraſſe in nos charitatem, ſed eſſe ipſam charitatem, ſeu eſſentiam ipſam charitatis & bonitatis, quæ eſt altiſſima Diuinæ charitatis conſideratio, quæ in nullam rem creatam conuenire poteſt.

Attributa Dei eſſentialia.

Ait, quædam attributa Dei eſſentialia eſſe, ſine quibus nūquam fuit Deus nec eſſe poteſt: at alia dari, quæ & non ſunt eſſentialia, & ſine quibus Deus eſſe poteſt, vt quod iudex & vindex ſcelerum ſit Deus. Verùm inuoluit rem Moſcorouius. Non enim hic agimus de iis attributis, quæ Deo per merè extrinſecam à rebus creatis denominationem competunt; qualia ſunt eſſe Dominum, iudicem, vindicem. Hæc enim per reſpectum ad creaturas de Deo affirmantur, ſed ſermo eſt de iis attributis, quæ continent perfectionem reipſa in Deo exiſtentem, vt eſt ſapientia Dei, bonitas: de his igitur dicimus nihil in Deo eſſe poſſe, ſecundùm realem aliquam perfectionem, quod non ſit Deus: alioqui eſſet accidens.

Iam verò cùm decreta Diuina, ait, non eſſe eſſentialia Dei attributa, diſtinguendum eſt. Nam ſecundūm eam perfectionē, quam dicunt in Deo, ſunt eſſentialia Deo, & ſine illis Deus eſſe non poteſt: ſecundùm verò terminationem & extenſionem ad hoc vel illud obiectum, ſicut nullam perfectionem in Deo ponunt, ſed relationem duntaxat: ita non ſunt eſſentialia Dei attributa, & ſine iis Deus eſſe

Decreta Dei quid? potuit. Decretum enim Diuinum, eſt ſapientia & voluntas Diuina, qua decernit Deus: ſine ſapientia autem & voluntate Deus eſſe non poteſt, nec potuit vnquam. Quare decretum Diuinum, vt dicit ſapientiam, & voluntatem Diuinam decernentem, eſt attributum omnino eſſentiale Dei: quia nimirùm ſignificat perfectionem ſapiẽtiæ & voluntatis, qua eſt attributum eſſentiale Dei, quoque Deus carere non poteſt. Quia verò decretum non nudè voluntatem & ſapientiam Dei deſignat, ſed cum reſpectu & extenſione ac terminatione ad hoc vel illud obiectum creatum, quem reſpectum & extenſionem potuit non habere voluntas Diuina (liberè enim extenditur ad quæuis obiecta creata) idcirco quoad hunc reſpectum & extenſionẽ, decretum Diuinum, non eſt attributum eſſentiale: ſiquidem reſpectus ille & extenſio, nullam realẽ perfectionem dicit in Deo. Quocirca ſecundùm id, quod ponit in Deo, eſt attributum eſſentiale, & idem quod eſſentia Diuina: ſecundùm id verò, quod dicit extenſionem & terminationem voluntatis & ſapientiæ Diuinæ ad obiecta creata, ſic nullam rem ac perfectionem in Deo ponit, ſed merum reſpectum: & ex conſequenti nec eſt eſſentiale Deo, neque neceſſariò, ſed liberè Deo conuenit, neq; eſt idem quod eſſentia.

Ex quo patet nullius momenti eſſe inſtantiam Moſcorouij de Diuinis decretis. Verè enim decreta, quatenus ſunt in Deo, ſunt attributa eſſentialia, & idem quod eſſentia: nec afferri poteſt vlla inſtantia de re aliqua, quæ ſit in Deo, quæ quatenus in Deo eſt, non ſit illi eſſentialis, & idem quod eſſentia ipſius: licet quatenus ſignificatur cum aliquo reſpectu ad rem creatam, poſſit inuoluere aliquid nõ eſſentiale: cuius etiam ratione dicitur non eſſentialia, ſiquidem ille reſpectus nullam realem perfectionem in Deo ponat.

Denique cùm Moſcorouius ait, non pugnare cum ſimplicitate Diuina, dicere decreta Dei non eſſe idem cum Diuina eſſentia: quia nimirùm niſi Deus decerneret liberè, quæ vellet, nõ eſſet agens ſummum & ſimpliciſſimum: duplicem ſuam ignorantiam prodit. Altera eſt, cùm id quod luce ipſa clarius eſt, & ab omnibus admittitur, non admittit. Si enim decretum Dei, ſit res à Deo diſtincta, & tamẽ inſit Deo, quis non videt, Deum fore compoſitum ex ſubſtantia ſua & re illa ſibi adueniente. Talem enim compoſitionem eſſe ex ſubſtantia & accidente Philoſophi fatentur. Porrò ſimplicitatem cùm compo-

Digitized by Google

compoſitione conſiſtere non poſſe, manifeſtius eſt, quàm vt probari debeat. Altera eſt, cùm rationem ineptam adducit. Si enim Deus ſtatuatur, ita liberè agere, vt producat in ſe actum liberum, tanquam rem à ſe diſtinctam, vti aduerſarij volunt, ex tali libertate Dei ſequitur, ipſum non ſimpliciſſimum eſſe, ſed ex duabus rebus compoſitum; nempe ex ſubſtantia ſua & actu illo à ſe & in ſeipſo producto: ſi verò dicatur agere liberè, abſque vlla noui actus, aut nouæ rei productione, ſed per ſuam eſſentiam & voluntatem, liberè terminatam, ad hoc vel illud obiectum, ſic, ſequitur quidem Deum eſſe ſimpliciſſimum; at non ſequetur id, quod aduerſarij volunt, decretum illud liberum Dei, eſſe rem à Deo diſtinctam. Omnes enim qui hucuſque fuerunt Theologi in hoc conſenſerunt, voluntatem Diuinam, quà vult, quæ vult: & quà non vult, quæ non vult, eſſe in ſe ſimpliciſſimam, nec vllam compoſitionem aut multitudinē diuerſorum actuum habere, ſed vnum & ſimpliciſſimum eſſe actum voluntatis Diuinæ, qui omnem perfectionem volendi in ſe continet, ita vt quæ nos infinitis actibus volendi, volumus, aut velle poſſumus, ea Deus vno & eodem actu velit ſine vlla ſui mutatione, aut actuum multiplicatione. Quamuis autem in ſe ſit ſimpliciſſimus: tamen reſpectu diuerſorum obiectorum dicitur multiplex, non ratione ſui, ſed extrinſecè ratione obiectorum: ita vt per denominationem ab obiectis ad quæ terminatur, dicatur multiplex. Hæc etſi in ſcholis Racouienſibus, in quibus error & rerum Theologicarum ignorantia ſedem fixit, neſciantur: docentur tamen ſubtiliſſimè à Theologis doctiſſimis cum D. Thoma 1. p. q. 14. & q. 19. ex quorum ſcriptis plura peti poſſunt.

Deus liberè agit abſq; noua rei productione.

Sed vrget adhuc Moſcorouius Statorij quoddam argumentum. Si enim Spiritus ſanctus quia in Deo eſt, Deus eſt & Diuina perſona; conſequens eſſe cætera quoque attributa Dei eſſe perſonas. Verùm hoc argumētum ita diſſoluimus. Non quidquid in Deo eſt, eſſe peculiarem perſonam ab aliis diſtinctam: ad hoc enim etiam requiritur peculiaris origo: ex origine ſiquidem Diuinas perſonas agnoſcimus & diſtinguimus. Cùm igitur attributa Diuina non ferant ſecum peculiarem & diſtinctam originis rationem, minimè ſequitur ſingula attributa eſſe peculiares perſonas. Spiritus verò ſanctus ita eſt in Deo, vt peculiarem rationē originis habeat. Oritur enim & ſpiratur

Ad perſonā Diuinā requiritur peculiaris origo.

Digitized by Google

ratur à Patre & Filio. meritò igitur peculiaris perſona ſtatuitur.

Obiectio Moſcorouij inepta. Nam quod obiicit Moſcorouius, Patrem eſſe perſonam, qui tamen à nemine oritur; an non ignorantiam ſuam oſtendit, cùm neſcit diſtinguere inter originem actiuam & paſſiuam. Nam vti in Filio & Spiritu ſancto eſt origo paſſiua:ita in Patre eſt actiua.eſt enim is, à quo oritur Filius & Spiritus ſanctus. Cùm verò ait, duas à nobis ſtatui origines actiuas, duas itē paſſiuas, eamque doctrinam, quàm dextrè Deo conueniat, prudentum iudicio remittit; Rectè & prudenter id facit. Non enim Racouienſium eſt de tantis rebus iudicium ferre; quippe cùm talia, ne à limine quidem ſalutarunt. Tot verò extant ea de re doctiſſimorum virorum ſcripta, vt ſtipites planè ſint, qui in tanta ſapientiæ luce, id non perſpiciant.

At enim Spiritus ſanctus non ex eo ſolùm capite Deus eſſe demonſtratur, quòd ſit in Deo naturaliter, ſed etiam ex eo, quòd ſit quid increatum & æternum. *Nihil increatum præter Deum.* Nam neque ſcriptura ens aliquod increatum & æternum agnoſcit præter Deum; & omne ens increatum neceſſe eſt ex ſe infinitum & illimitatum eſſe. Non habet enim à quo limitetur. Ens verò ſimpliciter infinitum, Deus eſt; cùm neque ente infinito, quid maius dici poſſit, neque Deo quid maius tribuere poſſumus, quàm quod ſit ens infinitum. Infinito enim omnia continentur.

Non arrident iſta Moſcorouio. Primum igitur negat, omne ens increatum & æternum Deum eſſe, affertque inſtantiam de luce inacceſſa, quam Deus inhabitare dicitur, 1. Tim: *6. 16.* quaſi lux illa & increata, & æterna eſſe dicatur, & ab ipſo Deo diuerſa. *Craſſa Moſcorouij opinatio de luce in qua Deus habitat.* Aio igitur, nimis craſſè de Deo Moſcorouium cogitare, & propriè id interpretari,quod ſcriptura non niſi anthropopathῶs ſeu humano affectu tribuit. Cogitat enim Moſcorouius lucem eſſe Deo circumfuſam & Deum comprehendentem; ſicut domus comprehendit eum, qui in ea habitat. Id verò propriè de Deo accipere, & ratio, & ſcripturæ ipſæ vetant. Si enim Deus luce aliqua circumquaque comprehenditur,non erit immenſus & incomprehenſus, contra id,quod ſcriptura de Deo non ſemel prædicat. Adhæc quemadmodum 1. Tim: 6. dicitur Deus inhabitare lucem inacceſſam; ita in Pſal: 103. 2. decorem induiſſe dicitur, amictus lumine, ſicut veſtimento; quæ ſi propriè accipere velimus, eadem lux erit & domus & veſtimentū

Dei,

Digitized by Google

Dei, quod eſt nimis abſurdum. Nam nec in veſte, quis dicitur habitare, tanquam in domo; neque domo indui, tanquam veſtimento.
Deinde ſicut dicitur, lucem Deus inhabitare: ita de eodem legitur, 2.
poſuiſſe tenebras latibulum ſuum, & nubes ac caliginem in circuitu eius eſſe, Pſal: 17. 12. Pſal: 96. 2. At lux & caligo ac tenebræ ſimul eſſe non poſſunt; neceſſe eſt igitur illud de lucis inhabitatione non propriè accipi. Addo cùm Ioannes Apoc: 21. 23. deſcribit illam 3.
cæleſtem Hieruſalem, nullam aliam lucem, ait, in ea conſpici, præter Deum & Agnum. *Et ciuitas,* inquit, *non eget ſole neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.* Non igitur præter Deum & Agnum eſt ibi alia lux Deo circumfuſa, & in qua Deus inhabitet; alioqui illa lux, illuminaret etiam illam ciuitatem: ſicut illuminat Deus & Agnus. Nam quod ait Moſcorouius, ſtatum piorum, non Dei maieſtatē ibi deſcribi; vanum & futile eſt. Nam ſi Deus in aliqua luce à ſe diſtincta verè habitaret, verè lux illa illuminaret quoque & impleret ciuitatem illam cæleſtem, ſicut Dei & Agni claritas.

Lux inacceſſa à Deo non diſtinguitur.

Deinde, vnde colligit, aut colligere poteſt Moſcorouius, lucem 4.
illam inacceſſam, ſi ſtatuatur eſſe diſtinctam à Deo, aut increatam eſſe, aut æternam. Nihil enim tale à Paulo aſſeritur. Nam ſicut cùm dicitur in ſcriptura, Deus habitare in cælis, & cælum eſſe ſedē eius, terram autem ſcabellum pedum eius, non rectè colligitur, cælum aut increatum eſſe, aut æternum: ita de luce illa inacceſſa nihil tale colligi poteſt. Satis enim eſſet dicere, lucem illam cæleſtē, quam nunc de facto inhabitat Deus, tantam eſſe, vt impedimento ſit ne videri poſſit; etiamſi lux illa, nec increata eſſet, nec æterna.

Præterea lux illa dicitur inacceſſa in ordine ad viſionem, quia 5.
ita perſtringit oculos, vt prohibeat Dei viſionem; Atſi lux illa extra Deum ſit corporalis, nullo modo poteſt impedire viſionem Dei, quæ fit oculis mentis, non corporis. Lux enim corporalis corporalē viſionem impedit; ſpritualem autem impedire non poteſt. Non igitur poteſt de luce corporali propriè accipi. Spiritualis verò lux non impedit aliam ſpiritualem viſionem.

Deniq; in monſtris contra Moſcorouium argumentabamur in 6.
hunc modum: Si lux illa increata eſſet, vel eſſet maior Deo, vel minor, vel æqualis. maior dici non poteſt: quid enim Deo maius? nec

 æqua-

Digitized by Google

æqualis; quod enim æquale eſt Deo, Deus eſt nec minor; quia non eſſet increata. Ad hoc argumentum Moſcorouius ineptiſſimè reſpondet, lucem illam non eſſe maiorem, vti eſt euidens: nec minorem, quia à Deo non poſſet habitari; ſed æqualẽ, non tamen omnimodè, ſed ſecundùm quid. Scilicet homo acutiſſimus, putat eſſe rem de æqualitate quantitatis & extenſionis; cùm quæſtio ſit de æqualitate eſſentiæ & perfectionis. An ſcilicet lux illa, quæ increata ſtatuitur à Moſcorouio, ſit perfectione & natura æqualis Deo. Nam ſi increata ſit, nõ habet à quo limitetur ad tantam vel tantam perfectionem, ſed omnem perfectionem neceſſariò comprehendet vt Deus, & ex conſequenti tanta erit in perfectione & natura vt Deus. Maior enim eſſe non poteſt. Siquidem ſummo maius eſſe nihil poteſt. Si verò minor dicatur, increata non erit. Vnde enim minor eſt, ſi non habet, à quo limitetur ad illam minorem perfectionem, cùm ſupponatur non eſſe ab illo producta & creata. Quanquam etiamſi de quantitate extenſionis ageretur, non rectè reſpondit Moſcorouius. Nam ſi illa lux eſt habitatio & domus quædam Dei, maior eſt Deo, vt potè quæ Deum in ſe comprehendat. Nam ſi æqualis eſſet, non eſſet extra Deum. Corpus enim quod ambit, & amplectitur aliud, eſt maius illo.

Concluditur quid ſit lux inacceſſa.

Cùm igitur ex his & aliis, quæ adduci poſſunt, rationibus pateat, lucem illam, quam Deus inhabitare dicitur, non eſſe propriè accipiendam pro luce aliqua verè circumfuſa Deo; conſequens eſt lucem illam inacceſſam, eſſe ipſam eſſentiam Diuinam. Ex ſe ipſa enim eſſentia Diuina eſt inacceſſa, & videri non poteſt; non verò id habet ex aliqua luce circumfuſa; ſiquidem omni alia extrinſeca luce remota, eſſentia Diuina eſt inacceſſa, & videri à nemine poteſt: quòd ipſa per ſe res tanta ſit, vt omnem facultatẽ creatam excedat. id quod etiam locus Apocalypſis citatus, & Ioannes in epiſt: 1. c. 1. indicat; Cùm ait, Deum ipſam lucem eſſe, non ſolùm in ordine ad nos illuminandos, ſed etiam in ſeipſo. Neceſſe igitur eſt, vt dicamus, quæ de inhabitatione lucis à Paulo dicuntur anthropopathωs accipi debere: eo dicendi modo, quo ſcriptura de Deo, humano affectu loqui conſueuit. Sicut enim cùm illum forma humana & membris ornatum, aut veſte amictum inducit, anthropopathωs loquitur: ita etiam cùm eum in luce inhabitare dicit; noſtro, id eſt humano

modo

Digitized by Google

modo loquitur. Deus enim propriè domum non habet, nec habere poteſt, quam inhabitet, ſed habitat & exiſtit in ſeipſo: noſtro verò, id eſt humano, modo intelligendi ac loquendi dicitur habitare in luce: quia ita totus eſt lucidus, ac ſi habitaret in luce. Sicut etiam & ſeruus bonus ac fidelis dicitur intrare in gaudium Domini, non quòd in gaudio habitet, tanquā in dolio, ſed quòd gaudio plenus ſit.

Porrò addit alium locum Moſcorouius, quo probat aliquid increatum eſſe, præter Deum, quòd quædam immobilia, non facta, aſſerantur à Paulo ad Hebr. 12. 27. Verùm id ita refutatum eſt à nobis, vt Moſcorouium ſui argumenti puduerit. quod ex reſponſione ipſius manifeſtum eſt. Manifeſtè enim oſtenſum eſt, Paulum nil tale docuiſſe. Diſtinguit enim ibi Paulus mobilia ab immobilibus; nomine mobilium intelligens legem veterē, quæ mobilis fuit: quia mutata eſt; Mutata autem eſt, quia facta, id eſt impleta: cùm enim in typis, id eſt in ſignificationibus rerum futurarum conſiſteret, cùm res ipſæ ſub Euangelio ſucceſſerunt, ipſa mutari debuit, tanquam iam impleta & inutilis reddita. Nomine verò immobilium & Regni immobilis intellexit Euangelicam legem; quæ dicitur idcirco immobilis, quia nunquam mutabitur.

Locus Pauli abſurdè exponitur à Moſcorouio.

Huic expoſitioni, cùm non haberet quod opponeret Moſcorouius, ſolùm petit doceri, quomodo publicato Euangelio, non ſolùm terra, ſed etiam cœlum ſit commotum: & per hanc commotionem hæc mobilia, ceu facta, ſublata, vt immobilia illa manerent. Verùm id per ſe clariſſimum eſt. Publicato enim Euangelio, nō ſolùm terra commota eſt per veteris legis abrogationem, & nouæ introductionem (quæ mutatio terræ inſignis fuit: quippe quæ mundum vniuerſum affecit) ſed etiam cœlum, Chriſto in cœlum aſſumpto & ad dexteram Dei collocato, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro; ſubiectis omnibus ſub pedibus eius. Epheſ. 1. 21. Per hanc igitur commotionem, mobilia tranſlata ſunt tanquam facta: hoc eſt lex vetus mutata eſt, tanquam iam impleta, vt regnum Chriſti immobile, quod nunquam mutandum eſt, maneat. Ex quo concidit illud argumētum Moſcorouij: Opponuntur immobilia mobilibus factis: ergo ipſa non ſunt facta, ac proinde ſunt increata. Non enim mobilia dicuntur facta,

Mobilia dicuntur à Deo facta, id eſt impleta.

 id eſt

id eſt creata, ſed facta, id eſt impleta: hoc autem modo opponuntur immobilibus, tanquam ijs, quorum reſpectu facta ſeu impleta ſunt.

Secundo loco impugnat Moſcorouius rationem, qua probaui, id quod increatum eſt, Deum eſſe. Omne enim increatum, ex ſe eſſe, neceſſe eſt: ac proinde ens infinitum ac illimitatum, & ex conſequenti Deum: docet igitur fallò a me aſſeri, id quod increatum eſt, ex ſe eſſe. Nam & Filius ſecundùm nos increatus eſt, non tamen ex ſe eſt, ſed ex Patre. Et Spiritus ſanctus ſecundùm rei veritatem, increatus eſt & æternus; & tamen idem ex ſe non eſt. nam à Patre procedit. At firmior eſt noſtra ratio, quàm vt à Moſcorouio poſſit expugnari. id enim quod increatum eſt, aut nullo modo ab alio eſt: aut ſi aliquomodo ab alio ſit, eſſentiam tamen ex ſe exiſtentem, hoc eſt à nullo productam, ab alio accipit: ita vt ens increatum, ſemper dicat eſſentiam ex ſe exiſtentem, & nullo modo quoad exiſtentiam productam. Quare & Filium Dei ea ratione ex Patre eſſe dicimus, vt ab eo eſſentiam Diuinam improductam, ac proinde ex ſe exiſtentem habeat: quod ad vim noſtri argumenti ſufficit. Si enim eſſentia Diuina, quam Filius accipit à Patre, eſt ens ex ſe, id eſt à nullo productum aut dependens, conſequens eſt eſſe ens illimitatum ac infinitum. Neq; verò ſi producitur Filius, neceſſe eſt eius produci eſſentiam, ſed ſatis eſt communicari. Cùm & in rebus creatis id ſuo modo cernamus. Nam in hominis generatione, homo quidem ab homine generatur, anima tamen, quæ à ſolo Deo per creationem eſt, non generatur. Et in Lazari à Chriſto reſuſcitatione, Lazarum à Chriſto iterum productum credimus: cuius tamen nec anima, nec corpus tunc productum fuit. ſed hæc vberiùs Theologi explicant.

Eſſentia Diuina improducta.

Iam quod ad Spiritum ſanctum attinet, eum increatum & æternum eſſe, Moſcorouius vltro concedit: ſicut & quòd ex Patre exiſtat: ſed cùm eum Deum verum eſſe negat, annè pugnantia non loquitur? Nam vel Spiritum ſanctum vult ita eſſe increatum, vt ſit extra Deum res aliqua, vel vult eſſe in ipſo Deo, tanquam Spiritum eius proprium. Si primum aſſerat, repugnabit Paulo 1. Cor: 2. comparanti Spiritum Dei cum ſpiritu hominis, qui in ipſo eſt. Sicut enim ſpiritus hominis, quo viuit, non eſt extra hominem, ſed ipſi homini intimus & conſubſtantialis: ita Spiritus Dei eſt Deo intimus & conſubſtantialis. Si verò aſſerat ſecundum, non poterit Spiritus

Moſcorouius pugnantia loquitur.

ſanctus

Digitized by Google

ſanctus non eſſe Deus; neque enim ſubſtantia Diuina eſſe poteſt à Deo diſtincta: Spiritus autem Dei eſt Dei ſubſtantia; ſicut ſpiritus hominis eſt ſubſtantia hominis, nec quidquam ad ſubſtantiam hominis magis pertinet, quàm ſpiritus eius. Non poteſt igitur Spiritus Dei eſſe quid à Deo diſtinctum: ac ex conſequenti erit idem quod Deus.

Pergit Moſcorouius, errores cumulans erroribus, materiam quoque primam æternam eſſe probabiliter à quibuſdam ſtatui. ſic enim ait: Qui materiam primam æternam volunt, eos non leuiculis rationibuss aut infirmo fundamento, aut cui ſacræ literæ vſpiam aduerſentur, niti, fatebuntur ij, qui ſcripta veterum & neotericorum ea de re penitus inſpexêre. Ita Moſcorouio, quæcunque ab vniuerſo orbe Chriſtiano ſemper profligata fuerunt, & perpetuis damnata tenebris, quaſi noua luce oborta, probabilia & præclara apparent. At ſicut oculo colore aliquo infecto, omnia ſimilia apparent: ita animo prauis opinionibus imbuto, non poteſt id, quod rectum eſt, apparere. Etenim ij materiam primam, æternam eſſe voluerunt, qui eam creatam eſſe à Deo negauerunt. Ex quorum numero fuit Marcion hæreticus, teſte Tertulliano in lib: 5. aduerſus ipſum. & Hermogenes itidem hæreticus, vt auctor eſt Tertullianus aduerſus ipſum; Manichæi etiam hæretici, teſte D. Gregorio Niſſeno in lib: de opificio hominis ca: 23. & Auguſt: hæreſi 46. Item Seleucus & Hermias, teſte Auguſt: hæreſi 59.

Placet Moſcorouio materiam primam, dici æternam.

Porrò iſtorum dogma duplici nomine tam ſcripturis, quàm rationi repugnat, primùm ex eo, quod ſtatuunt aliquid diuerſum à Deo, quod non ſit à Deo creatum. Clariſſimè enim ſcripturæ docēt, Deum eſſe omnium rerum creatorem, Act: 4. *Tu Domine, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt,* Heb: 3. *qui autem omnia creauit Deus.* Rom: 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quod & ratione demonſtrant Theologi. Si enim materia prima non eſſet à Deo creata, eſſet ens illimitatum & infinitum, ac proinde omnem plenitudinem eſſendi ex ſe haberet, quod eſt Dei proprium. A quo enim limitaretur ad tantam & nō maiorem perfectionem eſſendi, ſi à nullo eſſet? Materia verò tantùm abeſt, vt omnem eſſendi plenitudinem habeat, vt ſit omnium entium imperfectiſſimum; quod Ariſtoteles, nec eſſe quid, nec quale, nec quantum, nec aliud ex iis, qui-

Contra ſcripturam & rationem.

 bus ens

Digitized by Google

Ad hæc decreta Diuina, nihil aliud ſunt, quàm ſcientia & voluntas Diuina; ſi igitur illa erunt accidentia, ſcientia quoque & voluntas Dei erit accidens. quo quid falſius? Hinc enim ſequitur, Diuinam eſſentiam ex ſe imperfectam atque inopem eſſe, & perfectionem ſcientiæ ab accidentibus mutuare. quod ſi attributa & proprietates Diuinæ ſint idē cum eſſentia, vti aſſerere videtur Moſcorouius, cur decreta quoque Diuina, quæ non ſunt quid à ſcientia & voluntate Dei diuerſum, non cenſeantur idem cùm eſſentia?

Decreta nō ſunt effecta Diuina.

Iam & illud, quàm alienum eſt à vera Theologia, dicere, decreta Diuina, eſſe effecta eſſentiæ Diuinæ. Non enim decreta Diuina, ſunt aliqua accidentia, quæ effici à Deo debeant, vti oſtenſum eſt; neque ſi efficerentur, ſine mutatione eſſentiæ Diuinæ effici poſſent: imò & ſcientia & voluntas Diuina, cùm à decretis non diſtinguantur, eſſent etiam effecta eſſentiæ Diuinæ; nec Deus eſſet ſuum velle, & intelligere, quod nec Ariſtoteles, nec alij gentiles Philoſophi negare ſunt auſi.

Porrò cùm Moſcorouius ait decreta eſſe quidem effecta eſſentiæ Diuinæ, neque tamen eſſe creata: quippe cùm nihil in Deo creatum eſſe poſſit: nonne ſeipſum euertit? Sicut enim creatura quid in Deo eſſe non poteſt: ita neque factum: nam ſicut id, quod creatum eſt, ex nihilo eſt: ita quod factum eſt, ex aliqua materia eſt. Deus autem nullius rei materia eſſe poteſt. Quare id quod in eo eſt, factum dici nequit: & ſicut Deus nulla ex parte creatus dici poteſt: ita neq; factus. Verùm non intelligit Moſcorouius, quomodo decreta Diuina, ſint in Deo, & nō ſint effecta eſſentiæ ipſius. Explicant id Theologi noſtri ſubtiliſſimè. Etenim cùm certum ſit, Deum nullis accidentibus, quæ in ſe efficiat, eſſe ſubiectum; certum quoque eſſe volunt, decreta Diuina, nec eſſe Dei accidentia, nec effici à Deo. Si enim efficerentur, eſſent eius accidentia. Aiunt igitur, nulla re noua Deo accedente, Deum liberè decernere hoc vel illud, nec mutatione voluntatis, ſed libera terminatione eiuſdem ad hoc vel illud obiectum. de qua re ſcripta eorum (ſi diſcere cupit, atque in hac materia ſapientiùs loqui) conſulat Moſcorouius. Neque enim id à Racouienſibus ſuis facilè addiſcet. Mihi interim ſatis eſt, oſtendiſſe, ſine vlla effectione id fieri; ſicut neque cùm Deus aliquid cognoſcit, aut vult, efficiendo cognitionem & voluntatem id facit, ſed ipſe eſt ſuū cognoſcere, ſuum velle.

At,

Digitized by Google

At, inquit Moſcorouius, illam propoſitionem quidquid in Deo eſt, Deus eſt; non eſſe propoſitionem Prophetarum, aut Apoſtolorum. Ineptè ſanè: quaſi quòd ex iis, quæ Prophetæ & Apoſtoli de Deo docuerunt, neceſſariò deducitur, in Prophetas & Apoſtolos referri non debeat. Talis autem eſt hæc propoſitio, quam ex infinita perfectione Diuina & immutabilitate in ſcripturis aſſerta, paulò ante deduximus: Ad quod etiam facit, quod S. Ioannes dicat, Deum eſſe charitatem, 1. Ioan: 4. 8. 9. 10. quod loquendi modo charitatem indicat non eſſe accidens, ſed ipſam Dei eſſentiam. Non enim accidentia eo modo affirmare de ſubiectis poſſumus. Nunquam enim dicimus, homo eſt albedo; ſed albus. At Deus dicitur ipſa charitas. Nam quod exponit Moſcorouius, Deum dici charitatem: quia nobis charitatem in mittendo Filio ſuo demonſtrauit, id minimè ſatisfacit. Non enim quicunque demonſtrat erga aliquem charitatem, illico dicitur eſſe charitas: ſed maius quid de Deo innuit Ioannes, nempe, Deum non ſolùm demonſtraſſe in nos charitatem, ſed eſſe ipſam charitatem, ſeu eſſentiam ipſam charitatis & bonitatis, quæ eſt altiſſima Diuinæ charitatis conſideratio, quæ in nullam rem creatam conuenire poteſt. *Quidquid in Deo eſt, Deus eſt.*

Ait, quædam attributa Dei eſſentialia eſſe, ſine quibus nũquam fuit Deus nec eſſe poteſt: at alia dari, quæ & non ſunt eſſentialia, & ſine quibus Deus eſſe poteſt, vt quod iudex & vindex ſcelerum ſit Deus. Verùm inuoluit rem Moſcorouius. Non enim hîc agimus de iis attributis, quæ Deo per merè extrinſecam à rebus creatis denominationem competunt; qualia ſunt eſſe Dominum, iudicem, vindicem. Hæc enim per reſpectum ad creaturas de Deo affirmantur, ſed ſermo eſt de iis attributis, quæ continent perfectionem reipſa in Deo exiſtentem, vt eſt ſapientia Dei, bonitas: de his igitur dicimus nihil in Deo eſſe poſſe, ſecundùm realem aliquam perfectionem, quod non ſit Deus: alioqui eſſet accidens. *Attributa Dei eſſentialia.*

Iam verò cùm decreta Diuina, ait, non eſſe eſſentialia Dei attributa, diſtinguendum eſt. Nam ſecundũm eam perfectionẽ, quam dicunt in Deo, ſunt eſſentialia Deo, & ſine illis Deus eſſe non poteſt: ſecundùm verò terminationem & extenſionem ad hoc vel illud obiectum, ſicut nullam perfectionem in Deo ponunt, ſed relationem duntaxat: ita non ſunt eſſentialia Dei attributa, & ſine iis Deus eſſe

 potuit.

Digitized by Google

Decreta Dei quid?

potuit. Decretum enim Diuinum, eſt ſapientia & voluntas Diuina, qua decernit Deus: ſine ſapientia autem & voluntate Deus eſſe non poteſt, nec potuit vnquam. Quare decretum Diuinum, vt dicit ſapientiam, & voluntatem Diuinam decernentem, eſt attributum omnino eſſentiale Dei: quia nimirùm ſignificat perfectionem ſapiẽtiæ & voluntatis, quæ eſt attributum eſſentiale Dei, quoque Deus carere non poteſt. Quia verò decretum non nudè voluntatem & ſapientiam Dei deſignat, ſed cum reſpectu & extenſione ac terminatione ad hoc vel illud obiectum creatum, quem reſpectum & extenſionem potuit non habere voluntas Diuina (liberè enim extenditur ad quæuis obiecta creata) idcirco quoad hunc reſpectum & extenſionẽ, decretum Diuinum, non eſt attributum eſſentiale: ſiquidem reſpẽctus ille & extenſio, nullam realẽ perfectionem dicit in Deo. Quocirca ſecundùm id, quod ponit in Deo, eſt attributum eſſentiale, & idem quod eſſentia Diuina: ſecundùm id verò, quod dicit extenſionem & terminationem voluntatis & ſapientiæ Diuinæ ad obiecta creata, ſic nullam rem ac perfectionem in Deo ponit, ſed merum reſpectum: & ex conſequenti nec eſt eſſentiale Deo, neque neceſſariò, ſed liberè Deo conuenit, neq; eſt idem quod eſſentia.

Ex quo patet nullius momenti eſſe inſtantiam Moſcorouij de Diuinis decretis. Verè enim decreta, quatenus ſunt in Deo, ſunt attributa eſſentialia, & idem quod eſſentia: nec afferri poteſt vlla inſtantia de re aliqua, quæ ſit in Deo, quæ quatenus in Deo eſt, non ſit illi eſſentialis, & idem quod eſſentia ipſius: licet quatenus ſignificatur cum aliquo reſpectu ad rem creatam, poſſit inuoluere aliquid nõ eſſentiale: cuius etiam ratione dicitur non eſſentialia, ſiquidem ille reſpectus nullam realem perfectionem in Deo ponat.

Deniquecùm Moſcorouius ait, non pugnare cum ſimplicitate Diuina, dicere decreta Dei non eſſe idem cum Diuina eſſentia: quia nimirùm niſi Deus decerneret liberè, quæ vellet, nõ eſſet agens ſummum & ſimpliciſſimum: duplicem ſuam ignorantiam prodit. Altera eſt, cùm id quod luce ipſa clarius eſt, & ab omnibus admittitur, non admittit. Si enim decretum Dei, ſit res à Deo diſtincta, & tamẽ inſit Deo, quis non videt, Deum fore compoſitum ex ſubſtantia ſua & re illa ſibi adueniente. Talem enim compoſitionem eſſe ex ſubſtantia & accidente Philoſophi fatentur. Porrò ſimplicitatem cum compo-

compoſitione conſiſtere non poſſe, manifeſtius eſt, quàm vt probari debeat. Altera eſt, cùm rationem ineptam adducit. Si enim Deus ſtatuatur, ita liberè agere, vt producat in ſe actum liberum, tanquam rem à ſe diſtinctam, vti aduerſarij volunt, ex tali libertate Dei ſequitur, ipſum non ſimpliciſſimum eſſe, ſed ex duabus rebus compoſitum; nempe ex ſubſtantia ſua & actu illo à ſe & in ſeipſo producto: ſi verò dicatur agere liberè, abſque vlla noui actus, aut nouæ rei productione, ſed per ſuam eſſentiam & voluntatem, liberè terminatam, ad hoc vel illud obiectum, ſic, ſequitur quidem Deum eſſe ſimpliciſſimum; at non ſequetur id, quod aduerſarij volunt, decretum illud liberum Dei, eſſe rem à Deo diſtinctam. Omnes enim qui hucuſque fuerunt Theologi in hoc conſenſerunt, voluntatem Diuinam, quà vult, quæ vult: & quà non vult, quæ non vult, eſſe in ſe ſimpliciſſimam, nec vllam compoſitionem aut multitudinẽ diuerſorum actuum habere, ſed vnum & ſimpliciſſimum eſſe actum voluntatis Diuinæ, qui omnem perfectionem volendi in ſe continet, ita vt quæ nos infinitis actibus volendi, volumus, aut velle poſſumus, ea Deus vno & eodem actu velit ſine vlla ſui mutatione, aut actuum multiplicatione. Quamuis autem in ſe ſit ſimpliciſſimus: tamen reſpectu diuerſorum obiectorum dicitur multiplex, non ratione ſui, ſed extrinſecè ratione obiectorum: ita vt per denominationem ab obiectis ad quæ terminatur, dicatur multiplex. Hæc etſi in ſcholis Racouienſibus, in quibus error & rerum Theologicarum ignorantia ſedem fixit, neſciantur: docentur tamen ſubtiliſſimè à Theologis doctiſſimis cum D. Thoma 1. p. q. 14. & 9. 19. ex quorum ſcriptis plura peti poſſunt.

Deus liberè agit abſq; noua rei productione.

Sed vrget adhuc Moſcorouius Statorij quoddam argumentum. Si enim Spiritus ſanctus quia in Deo eſt, Deus eſt & Diuina perſona; conſequens eſſe cætera quoque attributa Dei eſſe perſonas. Verùm hoc argumẽtum ita diſſoluimus. Non quidquid in Deo eſt, eſſe peculiarem perſonam ab aliis diſtinctam: ad hoc enim etiam requiritur peculiaris origo: ex origine ſiquidem Diuinas perſonas agnoſcimus & diſtinguimus. Cùm igitur attributa Diuina non ferant ſecum peculiarem & diſtinctam originis rationem, minimè ſequitur ſingula attributa eſſe peculiares perſonas. Spiritus verò ſanctus ita eſt in Deo, vt peculiarem rationẽ originis habeat. Oritur enim & ſpiratur

Ad perſonã Diuinã requiritur peculiaris origo.

Digitized by Google

ratur à Patre & Filio. meritò igitur peculiaris perſona ſtatuitur.

Obiectio Moſcorouij inepta.

Nam quod obiicit Moſcorouius, Patrem eſſe perſonam, qui tamen à nemine oritur; an non ignorantiam ſuam oſtendit, cùm neſcit diſtinguere inter originem actiuam & paſſiuam. Nam vti in Filio & Spiritu ſancto eſt origo paſſiua: ita in Patre eſt actiua. eſt enim is, à quo oritur Filius & Spiritus ſanctus. Cùm verò ait, duas à nobis ſtatui origines actiuas, duas itẽ paſſiuas, eamque doctrinam, quàm dextrè Deo conueniat, prudentum iudicio remittit; Rectè & prudenter id facit. Non enim Racouienſium eſt de tantis rebus iudicium ferre; quippe cùm talia, ne à limine quidem ſalutarunt. Tot verò extant ea de re doctiſſimorum virorum ſcripta, vt ſtipites planè ſint, qui in tanta ſapientiæ luce, id non perſpiciant.

Nihil increatum præter Deum.

At enim Spiritus ſanctus non ex eo ſolùm capite Deus eſſe demonſtratur, quòd ſit in Deo naturaliter, ſed etiam ex eo, quòd ſit quid increatum & æternum. Nam neque ſcriptura ens aliquod increatum & æternum agnoſcit præter Deum; & omne ens increatum neceſſe eſt ex ſe infinitum & illimitatum eſſe. Non habet enim à quo limitetur. Ens verò ſimpliciter infinitum, Deus eſt; cùm neque ente infinito, quid maius dici poſſit, neque Deo quid maius tribuere poſſumus, quàm quod ſit ens infinitum. Infinito enim omnia continentur.

Craſſa Moſcorouij opinatio de luce in qua Deus habitat.

Non arrident iſta Moſcorouio. Primum igitur negat, omne ens increatum & æternum Deum eſſe, affertque inſtantiam de luce inacceſſa, quam Deus inhabitare dicitur, 1. Tim: 6. 16. quaſi lux illa & increata, & æterna eſſe dicatur, & ab ipſo Deo diuerſa. Aio igitur, nimis craſſè de Deo Moſcorouium cogitare, & propriè id interpretari, quod ſcriptura non niſi anthropopathῶs ſeu humano affectu tribuit. Cogitat enim Moſcorouius lucem eſſe Deo circumfuſam & Deum comprehendentem; ſicut domus comprehendit eum, qui in ea habitat. Id verò propriè de Deo accipere, & ratio, & ſcripturæ ipſæ vetant. Si enim Deus luce aliqua circumquaque comprehenditur, non erit immenſus & incomprehenſus, contra id, quod ſcriptura de Deo non ſemel prædicat. Adhæc quemadmodum 1. Tim: 6. dicitur Deus inhabitare lucem inacceſſam; ita in Pſal: 103. 2. decorem induiſſe dicitur, amictus lumine, ſicut veſtimento; quæ ſi propriè accipere velimus, eadem lux erit & domus & veſtimentũ

1\.

Dei,

Digitized by Google

Dei, quod eſt nimis abſurdum. Nam nec in veſte, quis dicitur habitare, tanquam in domo; neque domo indui, tanquam veſtimento.
Deinde ſicut dicitur, lucem Deus inhabitare: ita de eodem legitur, 2.
poſuiſſe tenebras latibulum ſuum, & nubes ac caliginem in circuitu eius eſſe, Pſal: 17. 12. Pſal: 96. 2. At lux & caligo ac tenebræ ſimul eſſe non poſſunt; neceſſe eſt igitur illud de lucis inhabitatione non
propriè accipi. Addo cùm Ioannes Apoc: 21. 23. deſcribit illam 3.
cæleſtem Hieruſalem, nullam aliam lucem, ait, in ea conſpici, præter Deum & Agnum. *Et ciuitas*, inquit, *non eget ſole neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.* Non igitur præter Deum & Agnum eſt ibi alia lux Deo circumfuſa, & in qua Deus inhabitet; alioqui illa lux, illuminaret etiam illam ciuitatem: ſicut illuminat Deus & Agnus. Nam quod ait Moſcorouius, ſtatum piorum, non Dei maieſtatē ibi deſcribi; vanum & futile eſt. Nam ſi Deus in aliqua luce à ſe diſtincta verè habitaret, verè lux illa illuminaret quoque & impleret ciuitatem illam cæleſtem, ſicut Dei & Agni claritas.

Lux inacceſſa à Deo non diſtinguitur.

Deinde, vnde colligit, aut colligere poteſt Moſcorouius, lucem 4.
illam inacceſſam, ſi ſtatuatur eſſe diſtinctam à Deo, aut increatam eſſe, aut æternam. Nihil enim tale à Paulo aſſeritur. Nam ſicut cum dicitur in ſcriptura, Deus habitare in cælis, & cælum eſſe ſedē eius, terram autem ſcabellum pedum eius, non rectè colligitur, cælum aut increatum eſſe, aut æternum: ita de luce illa inacceſſa nihil tale colligi poteſt. Satis enim eſſet dicere, lucem illam cæleſtē, quam nunc de facto inhabitat Deus, tantam eſſe, vt impedimento ſit ne videri poſſit; etiamſi lux illa, nec increata eſſet, nec æterna.

Præterea lux illa dicitur inacceſſa in ordine ad viſionem, quia 5.
ita perſtringit oculos, vt prohibeat Dei viſionem; Atſi lux illa extra Deum ſit corporalis, nullo modo poteſt impedire viſionem Dei, quæ fit oculis mentis, non corporis. Lux enim corporalis corporalē viſionem impedit; ſpritualem autem impedire non poteſt. Non igitur poteſt de luce corporali propriè accipi. Spiritualis verò lux non impedit aliam ſpiritualem viſionem.

Deniq; in monſtris contra Moſcorouium argumentabamur in 6.
hunc modum: Si lux illa increata eſſet, vel eſſet maior Deo, vel minor, vel æqualis. maior dici non poteſt: quid enim Deo maius? nec

Digitized by Google

æqualis; quod enim æquale eſt Deo, Deus eſt nec minor; quia non eſſet increata. Ad hoc argumentum Moſcorouius ineptiſſimè reſpondet, lucem illam non eſſe maiorem, vti eſt euidens: nec minorem, quia à Deo non poſſet habitari; ſed æqualē, non tamen omnimodè, ſed ſecundùm quid. Scilicet homo acutiſſimus, putat eſſe rem de æqualitate quantitatis & extenſionis; cùm quæſtio ſit de æqualitate eſſentiæ & perfectionis. An ſcilicet lux illa, quæ increata ſtatuitur à Moſcorouio, ſit perfectione & natura æqualis Deo. Nam ſi increata ſit, nō habet à quo limitetur ad tantam vel tantam perfectionem, ſed omnem perfectionem neceſſariò comprehendet vt Deus, & ex conſequenti tanta erit in perfectione & natura vt Deus. Maior enim eſſe non poteſt. Siquidem ſummo maius eſſe nihil poteſt. Si verò minor dicatur, increata non erit. Vnde enim minor eſt, ſi non habet, à quo limitetur ad illam minorem perfectionem, cùm ſupponatur non eſſe ab illo producta & creata. Quanquam etiamſi de quantitate extenſionis ageretur, non rectè reſpondit Moſcorouius. Nam ſi illa lux eſt habitatio & domus quædam Dei, maior eſt Deo, vt potè quæ Deum in ſe comprehendat. Nam ſi æqualis eſſet, non eſſet extra Deum. Corpus enim quod ambit, & amplectitur aliud, eſt maius illo.

Concluditur quid ſit lux inacceſſa.

Cùm igitur ex his & aliis, quæ adduci poſſunt, rationibus pateat, lucem illam, quam Deus inhabitare dicitur, non eſſe propriè accipiendam pro luce aliqua verè circumfuſa Deo; conſequens eſt lucem illam inacceſſam, eſſe ipſam eſſentiam Diuinam. Ex ſe ipſa enim eſſentia Diuina eſt inacceſſa, & videri non poteſt; non verò id habet ex aliqua luce circumfuſa; ſiquidem omni alia extrinſeca luce remota, eſſentia Diuina eſt inacceſſa, & videri à nemine poteſt: quòd ipſa per ſe res tanta ſit, vt omnem facultatē creatam excedat. id quod etiam locus Apocalypſis citatus, & Ioannes in epiſt: 1. c. 1. indicat; Cùm ait, Deum ipſam lucem eſſe, non ſolùm in ordine ad nos illuminandos, ſed etiam in ſeipſo. Neceſſe igitur eſt, vt dicamus, quæ de inhabitatione lucis à Paulo dicuntur anthropopathῶs accipi debere: eo dicendi modo, quo ſcriptura de Deo, humano affectu loqui conſueuit. Sicut enim cùm illum forma humana & membris ornatum, aut veſte amictum inducit, anthropopathῶs loquitur: ita etiam cum eum in luce inhabitare dicit; noſtro, id eſt humano

modo

Digitized by Google

modo loquitur. Deus enim propriè domum non habet, nec habere poteſt, quam inhabitet, ſed habitat & exiſtit in ſeipſo: noſtro verò, id eſt humano, modo intelligendi ac loquendi dicitur habitare in luce: quia ita totus eſt lucidus, ac ſi habitaret in luce. Sicut etiam & ſeruus bonus ac fidelis dicitur intrare in gaudium Domini, non quòd in gaudio habitet, tanquã in dolio, ſed quòd gaudio plenus ſit.

Locus Pauli abſurdè exponitur à Moſcorouio.

Porrò addit alium locum Moſcorouius, quo probat aliquid increatum eſſe, præter Deum, quòd quædam immobilia, non facta, aſſerantur à Paulo ad Hebr: 12. 27. Verùm id ita refutatum eſt à nobis, vt Moſcorouium ſui argumenti puduerit. quod ex reſponſione ipſius manifeſtum eſt. Manifeſtè enim oſtenſum eſt, Paulum nil tale docuiſſe. Diſtinguit enim ibi Paulus mobilia ab immobilibus; nomine mobilium intelligens legem veterẽ, quæ mobilis fuit: quia mutata eſt; Mutata autem eſt, quia facta, id eſt impleta: cùm enim in typis, id eſt in ſignificationibus rerum futurarum conſiſteret, cùm res ipſæ ſub Euangelio ſucceſſerunt, ipſa mutari debuit, tanquam iam impleta & inutilis reddita. Nomine verò immobilium & Regni immobilis intellexit Euangelicam legem; quæ dicitur idcirco immobilis, quia nunquam mutabitur.

Huic expoſitioni, cùm non haberet quod opponeret Moſcorouius, ſolùm petit doceri, quomodo publicato Euangelio, non ſolùm terra, ſed etiam cœlum ſit commotum: & per hanc commotionem hæc mobilia, ceu facta, ſublata, vt immobilia illa manerent. Verùm id per ſe clariſſimum eſt. Publicato enim Euangelio, nõ ſolùm terra commota eſt per veteris legis abrogationem, & nouæ introductionem (quæ mutatio terræ inſignis fuit: quippe quæ mundum vniuerſum affecit) ſed etiam cœlum, Chriſto in cœlum aſſumpto & ad dexteram Dei collocato, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro; ſubiectis omnibus ſub pedibus eius. Epheſ: 1. 21. Per hanc igitur commotionem, mobilia tranſlata ſunt tanquam facta: hoc eſt lex vetus mutata eſt, tanquam iam impleta, vt regnum Chriſti immobile, quod nunquam mutandum eſt, maneat. Ex quo concidit illud argumẽtum Moſcorouij: Opponuntur immobilia mobilibus factis: ergo ipſa non ſunt facta, ac proinde ſunt increata. Non enim mobilia dicuntur facta,

Mobilia dicuntur à Deo facta, id eſt impleta.

ſanctus non eſſe Deus; neque enim ſubſtantia Diuina eſſe poteſt à Deo diſtincta: Spiritus autem Dei eſt Dei ſubſtantia; ſicut ſpiritus hominis eſt ſubſtantia hominis, nec quidquam ad ſubſtantiam hominis magis pertinet, quàm ſpiritus eius. Non poteſt igitur Spiritus Dei eſſe quid à Deo diſtinctum: ac ex conſequenti erit idem quod Deus.

Pergit Moſcorouius, errores cumulans erroribus, materiam quoque primam æternam eſſe probabiliter à quibuſdam ſtatui. ſic enim ait: Qui materiam primam æternam volunt, eos non leuiculis rationibuss aut infirmo fundamento, aut cui ſacræ literæ vſpiam aduerſentur, niti, fatebuntur ij, qui ſcripta veterum & neotericorum ea de re penitus inſpexêre. Ita Moſcorouio, quæcunque ab vniuerſo orbe Chriſtiano ſemper profligata fuerunt, & perpetuis damnata tenebris, quaſi noua luce oborta, probabilia & præclara apparent. Ac ſicut oculo colore aliquo infecto, omnia ſimilia apparent: ita animo prauis opinionibus imbuto, non poteſt id, quod rectum eſt, apparere. Etenim ij materiam primam, æternam eſſe voluerunt, qui eam creatam eſſe à Deo negauerunt. Ex quorum numero fuit Marcion hæreticus, teſte Tertulliano in lib: 5. aduerſus ipſum. & Hermogenes itidem hæreticus, vt auctor eſt Tertullianus aduerſus ipſum; Manichæi etiam hæretici, teſte D. Gregorio Niſſeno in lib: de opificio hominis ca: 23. & Auguſt: hæreſi 46. Item Seleucus & Hermias, teſte Auguſt: hæreſi 59.

Placet Moſcorouio materiam primam, dici æternam.

Porrò iſtorum dogma duplici nomine tam ſcripturis, quàm rationi repugnat, primùm ex eo, quod ſtatuunt aliquid diuerſum à Deo, quod non ſit à Deo creatum. Clariſſimè enim ſcripturæ docẽt, Deum eſſe omnium rerum creatorem, Act: 4. *Tu Domine, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt,* Heb: 3. *qui autem omnia creauit Deus.* Rom: 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quod & ratione demonſtrant Theologi. Si enim materia prima non eſſet à Deo creata, eſſet ens illimitatum & infinitum, ac proinde omnem plenitudinem eſſendi ex ſe haberet, quod eſt Dei proprium. A quo enim limitaretur ad tantam & nõ maiorem perfectionem eſſendi, ſi à nullo eſſet? Materia verò tantùm abeſt, vt omnem eſſendi plenitudinem habeat, vt ſit omnium entium imperfectiſſimum; quod Ariſtoteles, nec eſſe quid, nec quale, nec quantum, nec aliud ex iis, qui-

Contra ſcripturam & rationem.

 bus ens

altero eſſe. Quorum enim eſt communis eſſentia, ea in ſeipſis ratione eſſentiæ mutuò inexiſtunt. Quare cùm trium perſonarum ſit vna communis eſſentia ratione eſſentiæ, tam Pater in Filio & Spiritu S. quàm Filius in Patre & Spiritu S. atque adeò Spiritus S. in Patre, & Filio eſſe, dicendus eſt.

Friuolum verò eſt, quod ait Moſcorouius, implicare contradictionem, vnam numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis. Quid ita? quia perſona inquit, eſt ipſa indiuidua eſſentia intelligens. At mancam mutilamque eſſe eam perſonæ definitionem, ad finem primi libri de erroribus Arianorum contra Smalcium oſtendimus. Niſi enim ſit etiam ſubſiſtens incommunicabiliter, non erit perſona. ſic enim neque anima rationalis, perſona dici poteſt, quamuis ſit eſſentia indiuidua intelligens; ex eo videlicet, quòd communicari alteri ad ſubſiſtendum poteſt. At inquit, indiuiduum prorſus incommunicabile eſt: neq; cuiquam inexiſtere poteſt, cùm inexiſtere ſit, vel accidentium vel ſecundarum ſubſtantiarum. non igitur poteſt vna indiuidua eſſentia communis eſſe multis perſonis. Verùm falſum id eſſe quod aſſumitur, ibidē fuſè docuimus. Nam & anima rationalis eſt indiuiduum ſuo modo; neq; tamen idcirco eſt incommunicabilis. communicatur enim homini, & exiſtit ſimul tota in pluribus numero membris. & ratio ipſa demonſtrat aliud eſſe, naturam eſſe indiuiduam; aliud incommunicabiliter ſubſiſtere. Naturam enim eſſe indiuiduam, eſt eſſe indiuiſibilem in plures numero naturas: eſſe verò incommunicabilis ſubſiſtentiæ, eſt eſſe in plures ſubſiſtentias indiuiſibilem. Cùm igitur hæc definitionibus diſtinguantur, non debent à Moſcorouio & aſseclis ipſius confundi, & pro eodem reputari. At, inquit, inexiſtere in alio proprium eſſe accidentium & ſubſtantiarum ſecundarum: ſi de inexiſtentia in aliqua ſubiecta natura intelligatur, eſt verum. Nam ſecundæ ſubſtantiæ inexiſtunt in primis, tanquam in ſubiectis ſibi naturis: quomodo primæ ſubſtantiæ non poſſunt in vlla natura ſubiecta inexiſtere: quia eo ipſo primæ non eſſent. At nihil repugnat, quominus dicantur inexiſtere in aliquo ſubſiſtente. Qui modus inexiſtendi eſt ſubſtantiæ indiuiduæ in perſonis. Nam ſicut non repugnat ſubſtantiæ indiuiduæ ſubſiſtere incommunicabiliter; ita nec exiſtere in ſubſiſtente incommunicabiliter. Plura in hanc rem, ſi cupit Moſcorouius, loco à nobis citato reperiet.

Malè Ariani definiunt perſonam.

Duo

Digitized by Google

Duo argumenta pro Diuinitate Spiritus ſancti, à Moſcorouii cauillationibus vindicantur. Cap: IV.

Argumētū pro Diuinitate Spiritus S.

Spiritus S. non regenerat in Baptiſmo.

RESTat vt duo alia argumenta, pro Diuinitate Spiritus ſancti à Petro Skarga adducta, expendamus,& à Moſcorouii cauillationibus vindicemus. Eſt igitur alterum argumentum eiuſmodi: Is qui nos ſuo nomine regenerat & ſaluat, eſt verus Deus. Atqui Spiritus ſanctus ſuo nomine nos regenerat & ſaluat in Baptiſmo. ergo eſt Deus verus. Hic primum Moſcorouius ait, falſum eſſe, in Baptiſmo aquæ Spiritum ſanctum nos regenerare & ſalutem nobis tribuere. Nuſquam enim in ſacris literis, inquit, Baptiſmo aquæ promiſſus aut adſtrictus Spiritus ſanctus legitur, ac proinde nec eius virtus Baptiſmo aquæ ita alligata, vt ſalus per aquæ Baptiſmum conferatur. Hæc ille. vbi quot verba, tot craſſiſſimi errrores continentur. Quis enim neſciat Baptiſmo Matt: 28. à Chriſto inſtituto, promiſſam eſſe ſalutem, & ex conſequenti regenerationem. neque enim ſalus in hac vita nobis, niſi per regenerationem confertur. Ita enim Chriſtus ait: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* Porrò Baptiſmus ille in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti conferri præcipitur. In eo igitur Baptiſmo Spiritus ſanctus nos regenerat, & ſalutem nobis tribuit. Quem quidem Baptiſmum, licet abſurdiſſimè Ariani, eſſe Baptiſmum aquæ negent; nos tamen ſupra ſatis id efficaciter demonſtrauimus. Quanquam ad præſentis argumenti vim ſatis ſit, qualis qualis Baptiſmus is dicatur, eſſe nihilominus talem, vt in eo Spiritus ſanctus nos, ſuo nomine regeneret & ſaluet. Id quod etiam vox illa *baptiſantes* indicat. Ea enim ſignificat ablutionem, & quidem ſpiritualem, vt aduerſarij volunt. Ablutio autem ſpiritualis à ſordibus peccatorum noſtrorum, non fit niſi per regenerationem, vt ipſemet Moſcorouius fol: 47. concedit. Quocirca cùm baptiſari iubemur in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, iubemur quoque in nomine Spiritus ſancti regenerari. Quamobrem etiam ad Tit: 3. dicitur: *ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.* vt pateat ablutionem iſtam, quæ fit à Spiritu S. eſſe regeneratiuam & renouatiuam. Et Epheſ: 5. 26. *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam.* vbi mundatio, quæ fit per aquæ lauacrum, dicitur eſſe mundatio à maculis peccatorum.

Adhæc

Digitized by Google

Regeneratio fit in Baptiſmo.

Adhæc quantus error eſt, dicere, in baptiſmo aquæ Spiritum S. nos non regenerare? Etenim aut in Baptiſmo aquæ nulla regeneratio fit, aut ea fieri dicenda eſt à Spiritu ſancto. Siquidem omnem regenerationem ſpiritualem fieri à Spiritu ſancto, & Chriſtus docuit, Ioan. 3. 5. illis verbis: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: & ſcriptura *lauacrum regenerationis* dicit eſſe *Spiritus ſancti*, Tit: 3. Porrò regenerationem Baptiſmo aquæ promiſſam eſſe, omnia illa loca teſtantur, quæ Baptiſmum aquæ teſtantur, inſtitutum eſſe in remiſſionem peccatorum. Act: 2. 38. *Baptiſetur vnusquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*, vbi etiam additur, *& accipietis donum Spiritus S.* Vt vel ex eo pateat, in Baptiſmo collato in nomine Chriſti, Spiritum ſanctum quoque operari & dona ſua largiri. Idem habetur Act: 22. 16.

Porrò remiſſio peccatorum, nec ſine regeneratione ſit, vt paulò ante diximus, nec ſine Spiritu ſancto. 1. Cor: 6. *Iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Quare eò ipſo quòd in Baptiſmo aquæ per remiſſionem peccatorum regeneramur, à Spiritu ſancto regeneramur. Nam ſi remiſſionem peccatorum non Baptiſmo, ſed Pænitentiæ tribuit Moſcorouius; Baptiſmum quoq; Ioannis dicere debebit fuiſſe in remiſſionem peccatorum, æquè ac Baptiſmum Chriſti. Adhæc cùm Baptiſmo aquæ Act: 2. 38. promittatur expreſſe donum Spiritus ſancti: qua fronte potuit negare Moſcorouius, Spiritum ſanctum non eſſe promiſſum Baptiſmo aquæ.

Neque verò hîc diſputo de modo, quo Baptiſmo aquæ remittantur nobis peccata, ſed de reipſa: quocunque enim modo id fiat, ſequitur nos per Baptiſmum in nomine Spiritus ſancti regenerari. Quod verò addit, virtutem Spiritus ſancti Baptiſmo non eſſe alligatam, id neque nos aſſerimus: eam enim etiam extra Baptiſmum exeri non diffitemur. Nam quod eam in Baptiſmo exerat, ſacræ literæ ſatis teſtificantur.

Ex regeneratione probatur Spiritus eſſe perſona Diuina.

Reſpondet ſecundò Moſcorouius, ex eo quòd Spiritus ſanctus regeneret & ſalutem tribuat, non effici Spiritum ſanctum eſſe Deitatis perſonam: cùm dici poſſit Spiritū S. efficere, quod Deus per eum perficit: quemadmodum, quæ ſpiritus hominis efficit, homo per ipſum efficere cenſetur. At nihil agit Moſcorouius: Non enim ex eo quòd Spiritus ſanctus regenerat, ſed quod nomine ſuo nos regenerat,

Digitized by Google

nerat, concludendum eſt Spiritum ſanctum eſſe Deitatis perſonam. Nam neque in nomine alicuius dicitur fieri aliquid, niſi ſit ille per-ſona quædam: & cùm regeneratio dicitur à Deo per ſpiritum ſan-ctum fieri, intelligitur fieri per Spiritum, qui ſit perſona. Oſtendi-mus enim Spiritum illum, qui in Deo eſt, & per quem Deus facit o-mnia, eſſe perſonam Deitatis. Quare ſimilitudo illa Spiritus, qui in homine eſt, ad id ſolùm accommodari poteſt, ad quod & à Pau-lo accommodatur, nempe quod ſit Spiritus intrinſecus & conſub-ſtantialis Deo: quemadmodum ſpiritus hominis eſt intrinſecus & conſubſtantialis homini: non verò quoad alia. Spiritum enim ho-minis, cùm ſit pars, non poſſe dici perſonam, per ſe manifeſtum eſt. Spiritus verò, qui in Deo, non eſt pars quædam Dei (in Deo enim non ſunt vllæ partes) ſed totam ſubſtantiam Dei comprehendit: & habet eas proprietates, quæ perſonarum ſunt propriæ. qualis eſt in-ter cæteras; quod audita loquatur & annunciet, Ioan: 16. 13. quod operetur omnia, diuidens ſingulis prout vult, 1. Cor: 12. 11. quod præcipiat ſibi aliquid fieri, Act. 13. 2. *Segregate*, inquit, *mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos.* Quæ omnia operari non poteſt, niſi perſona. Perſonæ enim proprium eſt, ex iudicio & voluntate o-perari.

Vana inſtantia Moſcorouij diluuntur.

Nec minus vana eſt illa inſtantia Moſcorouij cùm obijcit; eti-am Euangelium dici virtutem Dei in ſalutem omni credenti. Rom: 1. 16. & nos eſſe renatos per verbum Dei viui. 1. Petr: 1. 23. & per pro-miſſa Dei donatum nobis, vt per ea efficiamur Diuinæ conſortes na-turæ, 2. Petr: 1. 4. Vana, inquam ſunt hæc obiecta, quòd ea omnia inſtrumenta quædam ad noſtram regenerationem eſſe dicantur. Spi-ritus verò ſanctus eſt cauſa principalis, in cuius nomine baptiſamur & regeneramur. Neque enim miniſter in eo, in quo miniſter eſt, ſuo, ſed eius, cuius miniſter eſt, nomine facit. Vnde & Paulus quia ba-ptiſabat, vt miniſter, dicebat Corinthijs; *Numquid in nomine Pauli ba-ptiſati eſtis?* 1. Cor: 13.

Aliud argumentum pro Diuinitate Spiritus S.

Tertium argumentum eſt; ſi in nomine Patris æquè ac in nomi-ne Filij & Spiritus ſancti baptiſamur; æquè Spiritus ſanctus erit De-us ac Pater: ſiquidem parem cum Patre habebit virtutem ad nos per baptiſmũ ſanctificandos. Reſpondet Moſcorouius, dum quis ad e-undem effectum cum Deo concurrit, & ſimul cum Deo nominatur, non il-

non illico ſequi, cum aut Deum eſſe, aut paris cum Deo virtutis. Sed argumenti vim minimè intellexit Moſcorouius. Neq; enim nos ex eo Spiritum ſanctum Deum eſſe probamus, quòd eundem effectum cum Deo operetur, aut quòd ſimul cum Deo nominetur. Scimus enim poſſe homines cum Deo ſimul nominari: vt Exod: 14. 31. *Crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius.* Act: 15. 28. *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*: Scimus etiam poſſe homines cum Deo ad idem opus concurrere, non tamē pari virtute ac poteſtate; ſed vis argumenti noſtri eſt; quòd cùm æquè in nomine Spiritus ſancti ac in nomine Patris baptiſemur & regeneremur, Spiritum ſanctum æquè eſſe Deum ac Patrem neceſſe eſt, parique virtute ac poteſtate ad nos ſanctificandos præditū. Is enim in cuius nomine baptiſamur, non eſt inſtrumentalis aut miniſterialis cauſa baptiſmi & regenerationis, ſed principalis ac præcipua. Miniſter enim in eo, in quo eſt miniſter, non ſuo; ſed ſuperioris nomine facit. Quarè cum æquè in nomine Patris ac in nomine Filij & Spiritus ſancti dicatur conferri baptiſmus, omnes tres ſunt cauſa præcipua baptiſmi, ac ex conſequenti regenerationis noſtræ.

Vis argumē ti quæ l...

Æquè in nomine Spiritus S. ac in nomine Patris baptiſamur.

Non poſſunt, inquit Moſcorouius, plures cauſæ primæ ad vnū opus concurrere: alioqui prima cauſa, non eſſet prima. At neque nos, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, tres primas cauſas ſtatuimus: ſicut enim ſunt vnus Deus; ita & vnum rerum omnium principium; & vna prima cauſa, vnius virtutis & poteſtatis.

Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt vna prima cauſa, non tres.

Pendet, inquit, Spiritus S. à voluntate Patris, eumque in ſalutis negotio pro arbitrio Pater exerit: non poteſt igitur Spiritus S. dici prima cauſa. Verùm ſi id ita intelligat, vt poſſit Spiritus non operari aliquem effectum, quem operatur Pater, ſed ſemper mandatum Patris expectet, id falſiſſimum eſt; nec à Moſcorouio vnquam probari poterit. Trinitatis enim opera eſſe indiuiſa, conſtans eſt omnium Catholicorum fides. Quorum enim vna eſt natura, vna virtus & poteſtas, eſt etiam naturaliter vna operatio. Neque fieri poteſt, vt aliquid efficiat Pater, quod idem nō efficiat Filius & Spiritus S. non propter mandatū aliquod, ſed propter naturalē eſſentiæ & virtutis vnitatē. Pater enim quidquid facit, verbo ſuo & Spiritu ſuo facit. Vnde & Paulus 1. Cor: 12. 4. eadem omnia opera, æquè Patri ac Filio & Spiritui S. tribuit: *Diuiſiones, inquit, gratiarum ſunt: idem autem Spiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: diuiſiones & operationum*

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus: vbi Dei nomine, Patrem; & Domini nomine, Chriſtum intelligi fatentur omnes.

Spiritus S. non pendet à voluntate Patris, ſed vna voluntate cũ Patre operatur

Quod ſi Moſcorouius intelligat, Patrem voluntate ſua libera, per Spiritum S. dona ſua nobis largiri, id neq; facit, Spiritum S. dependere à voluntate Patris, neque non eſſe primam cauſam. Nam quod ad dependentiam attinet, ea eſſe non poteſt, niſi vbi ſunt diuerſæ voluntates. Cùm igitur vna ſit eademque voluntas & libertas Patris & Spiritus S ſicut vna eſt natura, non poteſt dici Spiritus S dependere à voluntate Patris, ſed vna eademque cum Patre voluntate & libertate velle & operari, quæ Pater vult & operatur. Quaprópter neq; etiam deſinit eſſe prima cauſa, Spiritus S. ex eo, quod Pater per illum operatur: quia nimirum operatur per illum, tanquam eadem voluntate poteſtateque præditum. Quæ autem prorſus eandem voluntatem poteſtatemq; habent, habent etiam eandem rationem cauſæ. Neq; hæc à nobis hoc loco probanda ſunt, ſed oſtendendum obiecta à Moſcorouio nihil contra noſtram ſententiam, quam alibi ex ſcripturis probamus, valere. Hîc enim partes ſuſtinemus reſpondentis, non argumentantis.

Cauſa ſecunda dupl. ex.

Addit Moſcorouius, etiam cauſam ſecundam, nomine ſuo ea poſſe agere, quorum ſit abſoluta penes eam poteſtas à prima cauſa conceſſa. Quocirca non ſequitur Spiritum S. eſſe primam cauſam noſtræ regenerationis & ſalutis, etiamſi in nomine eius regeneremur. At ſi Moſcorouius nomine cauſæ ſecundæ intelligit, cauſam inſtrumentalem aut miniſterialem, ſic falſiſſimum eſt, cauſæ ſecundæ conuenire poſſe, nomine ſuo aliquid agere: eo enim ipſo deſineret eſſe cauſa inſtrumentalis, cùm de ratione inſtrumenti ſit, non ſua, ſed ſuperioris agentis virtute, ac proinde non ſuo, ſed alterius agentis nomine operari: ſi verò nomine cauſæ ſecundæ intelligat cauſam principalem, ſed ſubordinatam cauſæ ſuperiori: quomodo cauſæ omnes creatæ, quæ ſunt principales cauſæ ſuorum effectuum, dicuntur cauſæ ſecundæ reſpectu Dei, cui ſunt ſubordinatæ, tanquam cauſæ ſuperiori: ſic verum quidem eſt, tales cauſas poſſe aliquid nomine ſuo agere: at in negotio ſalutis noſtræ, nego aliam cauſam, præter Deum, eſſe principalem, ſed inſtrumentalem tantùm aut miniſterialem. Clariſſimè enim teſtantur ſcripturæ, ſolum Deum eſſe principalem ſalutis noſtræ cauſam, Iſaiæ 45. *Deus iuſtus & ſaluans*

Salutis nulla cauſa principalis præter Deũ.

non eſt

non eſt præter me. Marci 2. *Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?*

Cùm igitur ſcripturæ doceant, ſalutem nobis æquè in Patris, ac Filij, & Spiritus S. nomine conferri, neceſſe eſt fateri, Spiritum S. eſſe æquè ac Patrem principalem cauſam ſalutis, ac ex conſequenti Deum verum. Quod adeò verum eſt, vt etiam Chriſtus, Patrẽ, miſſurum Spiritum S. in nomine ipſius, aſſeuerare non dubitauerit, Ioan: 14. 20. oſtendens æquè in nomine Filij, ac in nomine Patris mitti Spiritum S. & vtrumq; eſſe principalem cauſam talis miſſionis, atque adeò vnum eſſe vtriuſque nomen, in quo Spiritus S. mittitur, & vnam poteſtatem. quod idem de nomine Spiritus S. cenſeri debet.

Per Baptiſmum aquæ nobis remitti peccata, impiè à Moſcorouio negatur. Cap: III.

NEgat Moſcorouius cum ſuis, per Baptiſmum nobis peccata remitti, eò quòd res materiata & corporea, rei ſpiritualis eſſe principium nullo modo poſſit: nam neque natura eam vim habere certum eſt; nec ei inſitam Diuina inſtitutione, probari poſſe exiſtimat. Qua in re cùm Moſcorouius clariſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis contradicat; quæ diſertè Baptiſmo aquæ remiſſionem peccatorum, regenerationem, ſalutemque tribuunt: an non impius iure cenſeri debet, cùm & remiſſionem peccatorum nobis per Baptiſmum à Deo oblatam reiicit, & Baptiſmi ſacramentum ſua præcipua dignitate priuat.

Inprimis igitur Petrus Act: 2. 38 ſic ait: *Pænitentiam agite, & baptiſetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* vbi cùm Petrus iubeat omnes baptiſari in remiſſionem peccatorum; oſtendit, Baptiſmum eſſe inſtitutum in remiſſionem peccatorum; eumque proprium eius effectum eſſe: alioqui Petrus non præcepiſſet ad id Baptiſmum recipere, ad quod inſtitutus non eſt, & ad quod conſequendum vim nullam habet. *Baptiſmus in remiſſionẽ peccatorum.*

Reſpondet Moſcorouius, remiſſionem peccatorum hoc loco Pænitentiæ, Baptiſmum antecedenti, non ipſi Baptiſmo tribui. At fallitur, idque turpiſſimè. Neque enim Petrus ait, pænitentiam agite in remiſſionem peccatorum, ſed baptiſetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum. Coniungit igitur remiſſionem peccatorum immediatè cum Baptiſmo, & præter pænitentiam, Baptiſmum *Refellitur Moſcorouius.*

etiam requirit ad remiſſionem peccatorum. Et ſicut Moſcorouius ait, Pœnitentiam ex liberaliſſimo Dei decreto vim habere ad remiſſionem peccatorum: ita & de Baptiſmo idem dicere debet; ſiquidē ſcriptum eſt, nos baptiſari in remiſſionem peccatorum. Neq; dicere poteſt, Baptiſmum ratione Pœnitentiæ præcedentis, eſſe in remiſſionem peccatorum. Nam Petrus, non Pœnitentiam ſolùm, ſed & Baptiſmum requirit ad remiſſionem peccatorum: & ſi ſoli Pœnitentię remiſſio peccatorum tribuenda eſſet, cùm Pœnitentia Baptiſmum præcedit, remiſſio quoque peccatorum ex pœnitentia orta præcederet Baptiſmum, & ſic Baptiſmus non eſſet in remiſſionem, ſed poſt remiſſionem peccatorum. Nam quod ait Moſcorouius, Baptiſmum, præter Pœnitentiam requiri, tum ad profitendum nomen Domini Ieſu: tum ad adumbrandam illo exteriori actu remiſſionem peccatorum per Pœnitentiam obtentam; id inquam, quàm abſurde & inſulſè dicitur! Ex verbis enim Petri ſatis conſtat, Baptiſmum ab ipſo requiſitum fuiſſe, tum ad profitendum Chriſti nomen, tum ad remiſſionem peccatorum. Vtrumque enim voluit vt & in nomine Domini IESV baptiſarentur, & in remiſſionem peccatorum. Porrò baptiſari in remiſſionem peccatorum, non eſt adumbrare remiſſionē ante iam conſecutam, ſed præcedere ad remiſſionem obtinendam. Sic enim vbiq; in ſcriptura accipitur fieri aliquid in remiſſionem peccatorum. Et res ipſa loquitur, aliud eſſe baptiſari abſolutè in remiſſionem peccatorum; aliud in remiſſionem adumbrandam; neq; Petrus iuſſit illos adumbrare: ſed conſequi per Baptiſmum remiſſionem peccatorum.

Baptiſmus abluit peccata.

Similis eſt locus Act: 22. 15. vbi Ananias Paulo ait: *Baptiſare & ablue peccata inuocato nomine Domini Ieſu.* Quid clarius? Baptiſmo enim vult Ananias Paulum abluere peccata, addita inuocatione nominis IESV. Reſpondet Moſcorouius, Ananiam, iubere Paulum abluere peccata non Baptiſmo, ſed inuocatione nominis IESV. At peruerſè torquet ſcripturam. Nam ſicut Act: 2. 38. Petrus voluit fideles illos baptiſari, & in nomine Domini IESV, & in remiſſionem peccatorū: ita & hoc loco Ananias vult Paulum baptiſari, & ad abluenda peccata, & inuocato nomine Domini IESV: neq; poteſt locus hic ſcripturæ melius, quàm per illum alium omnino ſimilem, & qui eadem de re agit, explicari. Deinde Ananias cùm Paulum lauari & ablui vult,

Digitized by Google

vult, quis non videt illum, ablutionem ad lotionem retuliſſe, & lotione illa voluiſſe, vt ablueretur. Lotio enim ablutionem reſpicit tanquam ſuum effectum: & ablutio ad lotionem conſequitur, tanquam ad cauſam. Eo igitur reſpectu ablutionem nominauit, quia Baptiſmũ, ſeu lotionem ex qua ablutio conſequitur, nominauerat.

Ridiculè verò Moſcor: ait, nõ eſſe decernendũ ex fine & effectis cõmunis lotionis, de fine & effectu lotionis, quæ fit in Baptiſmo. Imò verò decernendũ eſt; cùm inter vtramq; lotionẽ ſit proportio in ordine ad ſibi cõuenientes effectus. Vt enim lotio merè corporalis, cauſat ablutionẽ corporis: ita ſacra lotio, quà ſacra eſt, ex inſtitutione Diuina cauſat ſacram ablutionem, quæ eſt ablutio à peccatis. Iubet igitur Ananias, Paulum lotione ſacra lauari, ad ablutionem ſacram, quæ eſt à peccatis, conſequendam, addita inuocatione Domini Iesv: ſiquidem Baptiſmus ſeu lotio illa, ita eſt ad ablutionem à peccatis inſtituta, vt ſimul etiam ad profeſſionem nominis Iesv ſpectet. Si Ananias inuocationem nominis Iesv, lotionem nominaſſet, facilè crederemus, eum præcepiſſe, vt inuocatione nominis Iesv Paulus ſua peccata ablueret. At quia Baptiſmum ſeu lotionem aquæ nominauit, idcirco ea lotione ablui illum voluit. Cum enim quis dicit lauare & abluaris, lotione illa ipſum ablui vult.

Ait Moſcorouius, illam lotionem, qua ablutus eſt Paulus, fuiſſe interius in animo. at quid hoc obſtat? illa enim lotio & ablutio interior, quæ fuit in animo, cauſata eſt, ex lotione illa Baptiſmi, quæ fuit in corpore. quæ etſi, quatenus erat lotio communis, pertingere ad animum non poterat; tamen quatenus erat lotio ſacra, ex Diuina inſtitutione vim eam habebat, vt corpus tangendo, animum ablueret. Sicut enim ſaliua Chriſti vel fimbria veſtimenti eius, aut manus impoſitio, non ex ſe, ſed quatenus erat Chriſti, vim habebat ſupra naturam ſuam ad ſanandos morbos. Sic aqua in Baptiſmo, non vt aqua, ſed vt eſt ad id à Chriſto inſtituta, & tanquam inſtrumentum Chriſti, habet vim ſupra naturam ſuam attingendi animam & abluendi peccata. Quare craſſus nimium eſt Moſcorouius, cùm obijcit aquam Baptiſmi exteriorem ad animum non penetrare, ſenſum ipſum teſtari: quaſi ſenſu & non fide patere debeat effectus ille ſacer, quem Deus per aquam facere ſtatuit. Nam etſi effectus, quos aqua naturaliter facit, ſenſu patere poſſint, quos tamen ex inſtitutione & virtute

Explicatur.

virtute Dei efficit, fide, non ſenſu patere debent.

Inuocatio ſine Baptiſmo non abluit.

Sola, inquit, inuocatio nominis IESV eam vim habuit, vt virtute eius nominis, quod inuocabatur, perfici potuerit, atq; adeò perfecta ſit ablutio peccatorum. At ſi intelligat ſolam inuocationem ſine Baptiſmo id efficere potuiſſe, falſum eſt: Si enim Paulus baptiſari noluiſſet, & ſine Baptiſmo inuocaſſet nomen Domini, peccata ſua proculdubio non abluiſſet: imò nouo peccato ſe onera ſſet, quód Chriſti mandatum de Baptiſmo ſuſcipiendo contempſiſſet. Veriſſimũ enim eſt illud Chriſti pronunciatum: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris.* Inuocatio ergo debebat eſſe Baptiſmo coniuncta; neque ſola ſine Baptiſmo poterat ablutionem illam efficere: & ſicut inuocatio nominis IESV eſt vnum Dei præceptum ad ablutionem peccatorum conſequendam ſeruatu neceſſarium: ita & Baptiſmus aquæ ſimile præceptum cenſeri debet; cùmque Chriſtus dicatur omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, Heb: 5 9. non minus erit cauſa ſalutis iis, qui præcepto eius obtemperant cùm baptiſantur, quàm cùm inuocant nomen eius.

Inuocatio nominis Chriſti ad formam Baptiſmi pertinet

Ad hæc inuocatio illa nominis IESV, ad Baptiſmum aquæ pertinet, tanquam forma ipſius. Baptiſmus enim aquæ ea forma conferri debuit, vt fieret in nomine IESV, & inuocato nomine IESV, vti ex iis omnibus locis patet, in quibus Baptiſmus dicitur fieri in nomine Domini IESV. Si igitur inuocationi tribuitur peccatorum ablutio, negari quoq; non poterit Baptiſmo aquæ eandem tribuendam eſſe: ſiquidem illa inuocatio eſt pars quædam & forma Baptiſmi. Neque enim aquæ ablutio, non in Chriſti nomine, & ſine nominis Chriſti inuocatione facta, Baptiſmus verus dici poteſt: ſicut neque corpus ſine ſpiritu, dici poteſt verus homo.

In Baptiſmo non ſola profeſſio ſed & inuocatio Chriſti continetur.

Impudenter verò negat Moſcorouius, inuocationem nominis IESV propriè dictam, ad aquæ Baptiſmum pertinere. Aliud enim eſt, inquit, profiteri, aliud inuocare nomen Domini IESV: in aquæ igitur Baptiſmo, profeſſionem quidem fieri nominis IESV, non tamen inuocationem. Quis enim non videt, profeſſionem nominis IESV, quæ fit in Baptiſmo, eſſe inuocationi coniunctam? Inuocare enim nomen IESV, eſt illud nominare, eo fine, vt eius virtute ſalutem conſequamur. *Corde enim creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad*

Digitized by Google

ad ſalutem, Rom: 10. 10. Cùm igitur in Baptiſmo profeſſio nominis Chriſti fiat ad ſalutem conſequendam, conſequens eſt, profeſſionẽ illam eſſe veriſſimam inuocationem, illi ſimilem, qua Dauid in nomine Dei ſaluari cupiebat: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac.* Neque enim vlla neceſſitas eſt profitẽdi Chriſtum in Baptiſmo, niſi quod id ad ſalutem noſtram pertinet.

Vnde patet, ſi Profeſſio nominis Chriſti ſit pars & forma Baptiſmi (ſine ea enim Baptiſmus non eſt Baptiſmus) inuocationem quoque eiuſdem nominis, eſſe partem Baptiſmi. Et cum inuocatione nominis Chriſti in Baptiſmo fiat ablutio peccatorum; veriſſimũ erit, Baptiſmum efficere in nobis remiſſionem peccatorum. Demum nonnè in loco præſenti Ananias coniungit inuocationem cum Baptiſmo? eam proculdubio intelligens, quæ fit cùm Baptiſmus in nomine Domini IESV confertur, vti omnes interpretes hactenus intellexerunt.

Baptiſmo aqua ablutio peccatorum tribuitur.

At, inquit, ſi inuocationi in Baptiſmo ablutio peccatorum tribuitur; non igitur Baptiſmo aquæ. Imo verò, quia inuocationi, quæ fit in Baptiſmo, tribuitur ablutio peccatorũ, ſequitur ipſi Baptiſmo per ſe tribuendam eſſe. Illa enim inuocatio eſt pars ac forma Baptiſmi, ipſius eſſentiam conſtituens. id enim quod per animam præſtamus, nos ipſi verè & propriè præſtare dicimur, quòd anima, ſit noſtra forma, ſubſtantiam noſtram conſtituens. Quanquam non inuocationi ſolùm, ſed & ablutioni illi externæ remiſſionem peccatorũ tribuendam eſſe cum ſcriptura dicimus, quæ ipſi lotioni externæ ablutionem à peccatis tribuit.

Baptiſmus ſaluat.

Tertius locus eſt Marci 16.16. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* En habes Moſcoroui, ſalutem Baptiſmo diſertis verbis à Chriſto promiſſam. At enim inquit Moſcorouius, de Baptiſmo aquæ Chriſtus hic non loquitur. ſcilicet tanti tamq; euidentis teſtimonij vim non potuit alia ratione euadere, niſi fortiter negando, Moſcorouius Atqui nullus vnquam Chriſtianorum extitit, qui de eo Chriſti verborum ſenſu dubitarit, præter hæc Racouienſium pſeudochriſtianorum monſtra atque portenta: quibus & ſolem in meridie lucere, negare poſtmodum, haud abſurdum aut difficile videbitur. Aio Chriſtum de eo Baptiſmo loqui, quem prædicationi Euangelij adiũgi præcepit Apoſtolis, vt patet ex Matth: 28. *Docete omnes gentes baptiſantes*

Abſurda expoſitio Moſcorouij.

H

ſantes eis. At inauditum eſt Apoſtolos alium quempiam Baptiſmum poſt prædicationẽ Euangelij, vel publicaſſe, vel contuliſſe fidelibus, niſi Baptiſmum aquæ. Statim enim poſt annunciatum Euangelium, illos Baptiſmo aquæ tingi volebant, vt patet Act: 2. 38. Act: 8. 12. 36. Act: 9. 18. Act: 10. 47. Act: 19. 4. Act: 22. 16. 1. Cor: 1. 14. Quocirca non poſſunt Chriſti verba, niſi de Baptiſmo aquæ accipi. Et ſanè admirandum eſt Apoſtolos Chriſti tam graue mandatum de Baptiſmo prædicationi Euangelij coniungendo, aut neglexiſſe; aut alium Baptiſmum, nempe aquæ, quem Chriſtus non mandarat, pro eo ſuppoſuiſſe. Verùm de hac re in capite ſecundo egimus ſatis. Nunc id tantùm vrgemus, nuſquam auditum, vel ſcriptum eſſe, Apoſtolos alium Baptiſmum quàm aquæ contuliſſe: nuſquam niſi vnum Baptiſma à fidelibus vſurpandum prædicaſſe; neq; aliud præter aquæ Baptiſma requiſiuiſſe: ita vt pro mero delirio habendum ſit dogma Arianorum Racouienſium, de alio neſcio quo Baptiſmo. Licet enim Baptiſmata ſint varia; illud tamen, quod Chriſtus credentibus Euangelio conferri præcepit in remiſſionem peccatorum, non eſt niſi vnum; idque non aliud quàm aquæ Baptiſma.

Baptiſmus aquæ prædicationi à Chriſto adiunctus.

Similiter ſalutem & conſcientiæ purgationem Baptiſmo aquæ tribuit S. Petrus, 1. Pet: 3. *ſicut in arca 8. animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam; ita & nos ſimilis formæ* (ἀντίτυπον) *ſaluos facit Baptiſma, non carnis ſordium depoſitio, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*: Vbi aquam diluuij cũ aqua Baptiſmi comparat; quòd ſicut illa, eleuando arcam in ſublime, ſaluas fecit 8. animas in arca, ita & aqua Baptiſmi ſimilis formæ, ſeu antitypon nos ſaluos facit, non depoſitione ſordium carnis, ſed interrogatione bonæ conſcientiæ in Deum.

Baptiſmo ſaluandi vis tribuitur à Petro.

Verùm & hic Moſcorouius contra omnium interpretum ſenſum, negat agi de Baptiſmo aquæ, ſed tantùm de Baptiſmo ſpirituali, qui ſit conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum. Quaſi verò, & Baptiſmus aquæ, licet aqua materiata conſtet, non poſſit dici ſimili modo ſpiritualis, quoad effectum. Sicut & panis Euchariſtiæ, licet materialis ſit, & Chriſti carnem, quæ itidem materialis eſt, contineat, dicitur tamen à Chriſto, eſſe pro mundi vita. Ioan: 6. & ſanguis Chriſti, qui itidẽ materialis proculdubio erat, dicitur fuiſſe in remiſſionem peccatorum, & lauiſſe nos à peccatis noſtris. Quocirca ex eo, quòd Baptiſmo tribuatur effectus ſpiritualis, nempe *conſcientiæ*

Digitized by Google

entiæ bonæ interrogatio in Deum, non licet inferre, Baptiſmum non cõſtare aqua materiata. Poteſt enim effectus ſpiritualis, non ſolùm à re ſpirituali, ſed etiam à re materiata ex Diuina inſtitutione cõferri.

De baptiſmo aquæ locum Petri intelligendum.

Deinde quod reuera de Baptiſmo aquæ Petrus locutus ſit, ex eo conſtat, quòd de communi fidelium Baptiſmo, omnibus vſitato & noto locutus ſit, qualis non eſt, niſi Baptiſmus aquæ. Vt enim Baptiſmum aquæ, quo erant baptiſati, omnes norant; idque eſſe vnicũ illud Baptiſma cum Paulo confitebantur: ita Baptiſmum ſpiritualem, qui eo nomine in ſcripturis diceretur, nemo, præter Arianos iſtos nouerat. Cuius ſignum eſt, quod hucuſque nemo fidelium extiterit, qui alium Baptiſmum, præterquam aquæ, in hoc Petri loco ſomniauerit. Comparat enim Petrus aquam diebus Noe, cum aqua quam Chriſtus attulit; & ait, ſicut illa aqua ſaluos fecit corporaliter: ita hæc ſaluos facit ſpiritualiter. Adhæc ſi de aqua ſpirituali ſermo eſſet, quid attinebat dicere, *non carnis depoſitio ſordium?* Nulli enim vnquam venire poterat in mentem, aquam ſpiritualem carnis ſordes abluere: ſed de aqua materiali in Baptiſmo, id meritò dici poterat & debebat: quòd etſi carnem tangat, non tamen ad ſordes carnis deponendas adhibeatur ſed tanquam res ſacra ex inſtitutione Diuina ad ſordes conſcientiæ abluendas. Et ſanè ſi confeſſio Fidei, quæ fit ore, fieri dicitur ad ſalutem, Rom: 10. 10. Si *omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Rom: 10. 13. Cur aqua Baptiſmi ad confeſſionem & inuocationem nominis Chriſti inſtituta, non cenſeatur eſſe ad ſalutem? Si omnibus obtemperantibus ſibi, Chriſtus eſt cauſa ſalutis æternæ, Hebr: 5. 9. cur ijs, qui Baptiſmum aquæ ex obedientia recipiunt, non ſit ad ſalutem? ſi fides in nomine Chriſti eſt ad ſalutem, cur non etiam Baptiſmus in nomine Chriſti ſit ad ſalutem. Vtrumque enim ex Chriſti beneficio habet, vt ſalutem efficiat. Accedit, quod ſi triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur teſte Paulo; quidni Baptiſmus quoque, qui ſecundùm Deum ac ipſius inſtitutionem voluntatemq; recipitur, ſalutem operetur? Ad extremum ſi panis Euchariſticus, quem ore manducamus, eſt pro mundi vita ac ſalute, Ioan: 6. 12. cur non aqua Baptiſmi corporibus aſperſa ad ſalutem animæ proficiat?

Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem.

Ex quo patet, quàm turpiter erret Moſcorouius, cùm hic aſſerit, Baptiſmum aquæ eſſe ad ſalutem neceſſarium, nunquam ex do-

ctrina Chriſti probari poſſe. Nam ſi de neceſſitate præcepti ſermo ſit, ſicut omnium præceptorum Diuinorum obſeruatio eſt ad ſalutē conſequendam neceſſaria (*Si enim vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, Matth: 19.17. & Chriſtus non niſi *obtemperantibus ſibi factus eſt cauſa ſalutis æternæ*, Hebr: 5 9.) ita non eſt dubium, quin etiam Baptiſmus eo nomine, quia à Chriſto præceptus eſt, ſit ad ſalutem neceſſarius. Si autem de neceſſitate medij agatur, ita vt ſine illo, vel in re, vel in voto, ſalus obtineri non poſſit, eiuſmodi neceſſitas ex illis verbis Chriſti oſtenditur, Ioan: 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum*; quæ verba de Baptiſmo aquæ accipienda eſſe, ſupra efficaciter probatum eſt.

Baptiſmus nos regenerat.

Iam verò ſcriptura non ſolùm remiſſionem peccatorum, & ſalutem Baptiſmo aquæ tribuit, ſed & regenerationem noſtram ſpiritualem. Illuſtris imprimis eſt locus, Ioan: 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum*, vbi cùm duo dicantur, aqua & Spiritus ſanctus, nec aliqua loci circumſtantia requirat, vt aqua impropriè accipiatur, ſequitur pro aqua elementari & propria accipiendam eſſe. Id enim omnis ratio & regula ſcripturas interpretandi ab omnibus vſurpata poſtulat. alioqui daretur infinita licentia in quoſcunque ſenſus improprios ſcripturas peruertendi, vti ſupra demōſtrauimus. Idem teſtatur Paulus ad Tit: 3. 5. cùm ait: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.* & Epheſ: 5. 26. *purgans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Quæ loca Moſcorouius, more ſuo, contra omnium ſenſum de aqua ſpirituali detorquet, illo nimis inepto argumento: quòd cùm regeneratio ſit res ſpiritualis, etiam lauacrum regenerationis ſpirituale exiſtat neceſſe eſt: quo ſanè argumento probaret, neque ſanguine Chriſti nos eſſe redemptos: neque corpore Chriſti, quod in Euchariſtia ſumimus, nos vitam ſpiritualem conſequi, contra expreſſa Chriſti verba: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*: denique nec per impoſitionem manuum ab Apoſtolis Spiritum ſanctū collatum fuiſſe. Neque verò neceſſe eſt ad effectum ſpiritualē conferendum, vt res ipſa per ſe ipſam ſpiritualis ſit; ſed ſatis eſt, vt ſpiritualem vim efficiendi ex Deo habeat: quò fit vt ineptiſſimè ex effectu ſpirituali inferatur, cauſam talis effectus omnino materiatam non eſſe. Ea igitur coniectura ad id non ſufficit, vt aquam non in

propria

Digitized by Google

propria ſua ſignificatione accipi oporteat. A propria autem vocum acceptione, non eſt recedendum, niſi id circumſtantia loci omnino requirat. Adhæc interpretationem iſtam contortam omnino eſſe, illud etiam argumento eſt, quod nulli vnquam interpretum venit in mentem aliud quid, quàm aquam Baptiſmi iis in locis intelligere. Quod vel ex vnius Tertulliani antiquiſſimi Doctoris verbis intelligi poteſt; is enim libro de reſurrectione carnis ita ſcribit: *Caro abluitur*, inquit, *vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur: caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.*

Tertulliani teſtimonium de efficacia ſacramentorum.

Ait præterea Moſcorouius à Paulo nominari lauacrum aquæ, quod in verbo vitæ purgandi vim habeat. Aquæ verò lauacrum nō per verbum vitæ, ſed per aquam elementarem adminiſtratur. Verùm Moſcorouius infirmo inprimis argumento nos vrget, cùm nos non lateat illas voces, *in verbo vitæ*, nuſquam in Græcis exemplaribus legi. Deinde cùm per verbum vitæ doctrinam Euangelij intelligat, iam per lauacrum aquæ doctrinam Euangelij intelligere non poteſt: cùm lauacrum aquæ à verbo vitæ Paulus diſtinguat, & lauacrum aquæ habere vim nos purgandi ait in verbo vitæ, ſeu per verbum vitæ. Adhæc cùm tam expreſſè Paulus nominet lauacrum aquæ, ſeu Baptiſmum aquæ, nullo addito, quod aquam ad improprium ſenſum reſtringat, quæ temeritas eſt contra communem ſenſum omnium, & legem ſcripturas interpretandi, lauacrum aquæ non propriè exponere? Nam quod additur *in verbo vitæ*, id optimè Baptiſmo aquæ quadrat, qui non confertur niſi in verbo vitæ, hoc eſt in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, vt Patres ſancti interpretantur: veriſſimum enim eſt, quod omnes Theologi ex Auguſtino docent; accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Hoc enim verbum dicitur vitæ, quia vitam continet & tribuit omnibus, ſuper quos in Baptiſmo fuerit inuocatum.

Lauacrum aquæ baptiſmus intelligitur.

Baptiſmus confertur in Verbo Vitæ.

Malè autem infert Moſcorouius, ſi in verbo vitæ iſta purgatio fit, non fieri in aqua: quaſi verò non vtrumq; coniungi oporteat, aut non vtriq; eadem purgatio tribuatur; & vnius effectus duæ eſſe cauſæ non poſſint: & Baptiſmus vtraque ratione nos non purget, tum vt lauacrum aquæ eſt, tum vt habet adiunctum verbum vitæ. Dum

Et in Verbo Vitæ & in aqua fit purgatio peccatorum.

enim Paulus addit vnum, alterum non excludit. Ex quo patet particulas illas *in verbo vitæ*, non habere eam vim, vt lauacrum aquæ oporteat impropriè accipi: ineptèque id ex dictis voculis concludere Moſcorouium.

Aqua munda corpus abluens, Baptiſmus intelligitur.

Huc etiam fecit locus Hebr: 10. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Hanc enim ablutionem corporis & ad corpus pertinentem, ſancti Patres de aqua Baptiſmi meritò interpretantur. Nulla enim eſt alia aqua in lege Euangelica munda, id eſt mundans, præter aquam Baptiſmi. quæ idcirco dicitur munda, quia vim mundandi habet conſcientias noſtras, ad differentiam aquarum in veteri Teſtamento vſurpatarum, quæ non erant aquæ mundæ; quia vim mundandi animas non habebant.

Sed ait Moſcorouius, aquam Baptiſmi non poſſe hîc intelligi, quòd ij, ad quos Paulus ſcribebat, iam eſſent baptiſati. Verùm Paulus non hortatur hoc loco ad Baptiſmum, ſed vt habentes iam per Baptiſmum corpus ablutum aqua munda & corda, aſperſa à conſcientia mala, accederẽt cũ vero corde & plenitudine fidei ad Chriſtũ.

Non Verbũ Vel doctrinam

1. Ait præterea; verbum & doctrinam eſſe aquam ſpiritualem & metaphoricam, qua non ſolùm animi purgantur, ſed etiam corpora, dum à gula, ebrietate, ſcortatione, & id genus alus corporis inquinamentis retrahuntur. Nam Paulus 2. Cor: 7. 1. ait, *has promiſſiones habentes, mundemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* At quàm dura, & quæ à nullo intelligi facilè poſſet, metaphora fingitur contra omnem Pauli mentem! Paulus enim loquitur de aqua corporis, de qua fidelibus iam tum conſtabat, eamque aquis veteris Teſtamẽti opponit, tanquam mundam immundis. At qui fidelibus in lege noua vti de aqua Baptiſmi conſtabat, & de eius, præ aquis veteris teſtamenti præſtantia: ita nullo modo venire ipſis in mentem poterat, verbum, eſſe aquam corpus abluentem: cùm nec tale quid Paulus innuat; nec quiſquam de tam dura & inſolenti metaphora in verbis Pauli diuinare poſſet: vti reuera nullus hactenus diuinauit.

2. Ad hæc, etſi nos purgemur ab inquinamentis carnis, vt ait Apoſtolus; tamen non per corporis ablutionem; ſed cordis. Ea enim purgatio prouenit à purgatione cordis, nec ad eam alia purgatione opus eſt, quàm purgatione cordis. Corde enim purgato à peccatis,

nulla

nulla in nobis reſtant inquinamenta carnis dicente Chriſto, *non quod in os intrat coinquinat hominem, ſed quod ex corde procedit*, affectus ille malus. Cùm igitur hîc Paulus præter aſperſionem cordis requirat ablutionem corporis, dici non poteſt per ablutionem aquæ mundæ, ſpiritualem ablutionem intellexiſſe: quia ſpiritualis illa ablutio corporis ab inquinamentis carnis, fit per aſperſionem cordis.

Præterea per aſperſionem cordis, aſperſionem ſanguinis Paulus intellexit, de qua & ad Heb: 12. 24. & 1. Pet: 1. 2. dicitur; alluſitque ad illam aſperſionem in veteri teſtamento; quam idem Paulus deſcribit Hebr: 9. 19. cùm ait: *omnia pene in lege in ſanguine mundari, & ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem.* Per ablutionem verò corporis aqua munda, intellexit ablutionem aquæ Baptiſmi, alludendo ad ablutiones aquæ, quæ fiebant in veteri Teſtamento; quibus aqua Baptiſmi opponitur, tanquam munda. Illæ enim mundare non poterant conſcientiam, ſed tantùm carnis emundationem efficiebant. Heb: 9. 10. aqua verò Baptiſmi munda eſt & efficax ad emundandas conſcientias; & licet corpus tangat, mentem tamē à peccatis abluit. Neque enim aqua Baptiſmi munda eſt, ad emundationem carnis; ſed ad emundationem ſpiritus.

Accedit quòd Chriſtus venit ad nos mundandos, *non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine* 1. Ioan: 5. aqua inquam vera & ſanguine vero. ad quod etiam ſignificandum ſanguis & aqua fluxerunt ex Chriſti latere, ſanguis inquam redemptionis; aqua Baptiſmatis. Vtrumque igitur Paulus cōmemorat ad nos mūdandos, & ſanguinis aſperſionem, & aquæ ablutionem. Si quidem alludit ad illum duplicem modum, quo in lege veteri fiebat emundatio per ſanguinis aſperſionem & aquæ ablutionem. Et ſicut per verum ac proprium ſanguinē fit in lege noua mundatio peccatorum: ita & per veram ac propriam aquam fit eadem ablutio peccatorum.

Vnde patet, nullam omnino habere rationem Arianos, per aquam, in hoc loco Pauli, intelligendi verbum: præſertim cùm tam expreſſè dicatur, aqua illa ad corpus pertinere & abluere corpus: Verbum verò non corpori infunditur ad abluendum corpus, ſed animo, vt fide purificatum cor, eo ipſo mundetur ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Non enim verbum abluit immediatè corpus; ſed abluendo animum, abluit conſequenter & corpus; cùm nulla ſint

ſint inquinamenta corporis, niſi peccata; quæ ex doctrina Chriſti in ſola anima reſidēt, & corpus non niſi ratione animæ afficiunt, quatenus ab anima per corpus patrantur. Cùm igitur hic per ablutionem corporis dicamur mundari, non poteſt intelligi de ablutione, quæ fit per verbum: hæc enim fit per ablutionem animi, non per ablutionē immediatam corporis.

Baptiſmus Chriſti fit in aqua & Spiritu.

Deniq; hanc veritatem de Baptiſmi efficacitate probamus quoque ratione è ſcripturis ſumpta. In hoc enim differt Baptiſmus Ioannis à Baptiſmo Chriſti, quòd ille ſolùm in aqua; hic verò non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſpiritu conferretur. Hoc enim ſibi volunt illa Ioannis verba: *Ego baptiſo in aqua, ille baptiſabit in Spiritu S.* Ioan: 1. 33. quibus innuit Chriſtum in ſuo Baptiſmo gratiam Spiritus S. collaturum eſſe.

Alioqui à Baptiſmo Ioannis non differet.

Ait Moſcorouius non colligi Chriſtum in aquæ Baptiſmo baptiſare in Spiritu S. At quis non videt, ſi Chriſtus baptiſaturus erat in Spiritu S. id præcipuè in eo Baptiſmo, quem ipſe inſtituit, & qui in nomine ipſius omnibus fidelibus ſemper vſque ad mundi finem conferri debuit, verificari debere: alioqui in eo Baptiſmo, quem pro toto mundo inſtituit, & tanquam ſuū haberi ab omnibus voluit, æquè baptiſaret ac Ioannes. Vterque enim Baptiſmus ſolùm eſſet in aqua. Vnde nec rebaptiſari eos, qui erant baptiſati à Ioanne oportuiſſet, cùm vterque eſſet Baptiſmus in aqua tantùm; & vterque eo ſpectaret, vt in Chriſtum crederent ij qui baptiſabantur. Act: 19. 4. Cùm tamen eos, qui Baptiſmum Ioannis acceperant, iterum baptiſari Baptiſmo Chriſti Paulus præceperit, Act: 19. 5. Non igitur ſolùm in Pētecoſte baptiſaturus erat Chriſtus in Spiritu S. Act: 1. ſed etiam in omni ſuo Baptiſmo, & in eo præcipuè quem pro toto mundo inſtituit, & de quo illud intellexit, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt intrare in regnum cœlorum,* Ioan: 3. qui etiam dicitur *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* & ſicut die Pentecoſtes cùm baptiſaret in igne, baptiſauit Spiritu S. ita & in Baptiſmo aquæ baptiſat in Spiritu S. Ad hæc Paulus teſtatur, Sacramenta legis veteris

Sacramenta nouæ legis iuſtificant.

fuiſſe *infirma & egena elementa*, Gal: 4. 9. & legis cæremonias ad nihil perfectum adduxiſſe, quòd iuſtitiam & peccatorum remiſſionem non conferret, Heb: 9. 9. Heb: 10. 1. Ad hoc idem iſti de Sacramentis nouæ legis fateri coguntur, ſi nullam vim ipſis ex inſtitutione Di-

uina

alua tribuant. Nam quod plerique dicunt, Sacramenta nouæ legis fidem promiſſionũ Diuinarum excitare, idipſum Sacramenta quoq; veteris legis habebant. Etenim ſacrificiis in Leuit. c. 4. 5. 6. promittitur diſertè remiſſio peccatorum; quam tamen quia nõ niſi ex fide offerentium præſtabant, idcirco dicuntur imperfecta, & ex ſe vim eam conferendi non habuiſſe. Si igitur Sacramenta nouæ legis ſunt longè perfectiora Sacramentis veteris legis, debent vim efficiendi peccatorum remiſſionem continere.

Fundamenta duo Moſcorouii euertuntur. Cap: VI.

IAm reſtat, vt duo, quibus Moſcorouius nititur, fundamenta euertamus. Primum illud eſt, Res materiata effectum ſpirituale̅ præſtare non poteſt. Quare nec aqua Baptiſmi remiſſionem peccatorũ præſtare poterit. At quis non videt, ſi res materiatæ ſecundùm ſuas naturas ſpectentur, non poſſe producere effectus ſpirituales; excedunt enim naturam & conditionem illarum: at ſi à Deo vim ſpiritualem accipiant, & veluti inſtrumenta ad eiuſmodi effectus producendos aſſumantur, quis negare poterit, res materiatas, ſicut ad alios effectus ſupernaturales producendos concurrere poſſe, ita & ad effectus purè ſpirituales. Sic enim legimus in ſcriptura Chriſtum, & luto cœcum ſupra naturam illuminaſſe, & tactu carnis ſuæ varios morbos ſuſtuliſſe; & verbo, mari, ventis, morbis, dæmonibus imperaſſe, mutationeſq; in eis ſupra naturam effeciſſe. Similiter legimus res materiatas ex inſtitutione Diuina factas, eſſe cauſas effectuum quorundam ſpiritualium, vi ſcilicet ſpirituali ſibi à Deo indita. Quod licet Moſcorouius negare non audeat fieri poſſe: negat tamen impudenter id reuera Deum facere voluiſſe. At nos innumeris exe̅plis id probare poſſumus. Nam inprimis, impoſitione manuum datum fuiſſe Spiritum ſanctum, multoties in Actus Apoſtolorum legimus, adeò vt Simon Magus videns per impoſitionem manuum dari Spiritũ ſanctum, obtulerit Apoſtolis pecuniam, vt eam poteſtatem ſecum communicarent. Acto: 8. 18. Similiter panis Euchariſticus manducantibus dat vitam æternam: dicente Chriſto Ioan: 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, & qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Res materiata poſſunt Dei virtute producere effectum ſpiritualem.

Negat quidem Moſcorouius, ibi de pane Euchariſtico ſermonẽ eſſe; negat etiam ſub ſpecie panis & vini, nos corpori & ſanguini Domini participare, cùm & ante, & poſt, panis expreſſè nominetur; negat denique accidentia panis & vini ſine ſuis ſubiectis vllo modo exiſtere poſſe, cùm id inuoluere contradictionẽ aſſerat.

At omnes hos errores dicta Chriſti verba penitus euertunt. Etenim quod ad primum attinet, de duplici pane Chriſtus ibi locutus eſt; alter erat is, quem tunc Pater de cœlo dabat omnibus per fidem manducandũ, vt patet ℣. 32. quem panem ſeipſum nominauit, ℣. 35. & per fidem manducari docuit. Alterum panem promittebat ſe daturum, qui non aliud quid eſſet, niſi caro ipſius, idq; pro mundi vita. ℣. 52. *Panis,* inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Quam promiſſionem alibi non impleuit, niſi cùm in vltima cœna accepit panem, & benedictione mutatum, pronunciauit eſſe corpus ſuum: neque poteſt meliùs promiſſio, quàm per ipſam impletionem explicari. Quocirca negari nullo modo poteſt, panem hunc eſſe panẽ Euchariſticum: eandem enim eſſentiam, quam panis Euchariſticus continet; nempe quia ſub ſpecie panis eſt caro Chriſti; ex conſequẽti autem ſecundùm Chriſti promiſſa confert effectum vitæ æternæ. Quem etiam panem, verè cibum; & ſanguinem, verè potum eſſe, ideo affirmauit ℣. 56. quòd & verè à nobis ſumatur; & verum effectum cibi & potus in animis noſtris generet; vt verè viuamus propter eum ℣. 58. Verè etiam hunc panem manducandum eſſe à fidelibus, non ſpiritualiter duntaxat, ſed reipſa & ore, contra Capharnaitas, qui id negabant & ex eo ſcandalizabantur, conſtanter aſſeuerauit. Quia verò id non viſibili & communi aliorum ciborũ ratione (qui nimirum cùm manducantur, per partes diſcerpuntur) manducari debuit, ſed ſpirituali ac Diuina virtute, ſub ſpecie panis, integram Chriſti carnem, ſine vlla ſui diuiſione, ad manducandum exhibente, idcirco fidem & ſpiritum, quo ſupra carnem attollerentur, in Capharnaitis requiſiuit. *Spiritus enim eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam.* Sed hæc alibi copioſiùs. Nunc ſatis eſt, panem hunc eſſe Euchariſticum, ex verbis Chriſti demonſtraſſe.

Panis Euchariſticus Ioan: 6.

Alterum errorem, quo Moſcorouius negat, nos in Euchariſtia ſub ſpecie panis & vini, corpori & ſanguini Chriſti participare, cõuincunt eadem Chriſti verba. ſi enim hic panis eſt caro Chriſti pro

Euchariſtia corporis Chriſti participatio.

mundi

mūdi vita, quis non videt in eo pane nos corpori Chriſti participare? Conuincit & Paulus, 1. Cor: 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonné communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonné participatio coporis Domini eſt?*

Tertius quoque error per ſe manifeſtus eſt. Etenim cùm accidentia ſint res a ſubiecto diſtinctæ (alioqui non eſſent accidentia) rem autem quamlibet naturâ ab altera diſtinctam, Deum, ſine altera conſeruare poſſe, nullam inuoluit contradictionem, ſequitur etiam accidens ſine ſubiecto conſeruare poſſe. Licet enim accidens à ſubiecto dependeat, eam tamen dependentiam Deum ſua efficientia ſupplere poſſe, apud omnes Theologos perſuaſiſſimum eſt. *Accidens ſine ſubiecto.*

Verùm non mirum cenſeri debet, Moſcorouium pani Euchariſtico vim nos viuificandi denegare: cùm eandem vim denegare non vereatur carni Chriſti pro nobis in mortem traditę, & ſanguini eiuſdem pro nobis fuſo. Ait enim carnem & ſanguinem Chriſti, cùm ſint res externæ, ex ſe vim ad animos purgandos non habere, ſed ſolùm res ſpirituales adumbrare, ſenſibusque repræſentare. Mors enim Chriſti, inquit, eſt imago ad viuum expreſſa ingentis Dei Chriſtiq; amoris, quæ ad animos noſtros tranſmiſſa & perpenſa excitat nos ad Deo Chriſtoque confidendum, eumque redamandum, eiq; parendū, quæ ſunt media ad ſpiritualia dona, nobis à Deo comparanda. *Impiè de virtute mortis Chriſti ſentiunt Arriani.* Verùm hic error vti per ſe impius eſt, & omnem vim Chriſti mortis, atque adeò omnem Religionem Chriſtianam euertit, ita à nobis ſecundo de Chriſto libro plenè confutatus eſt. *Vera vis mortis Chriſti.* Etenim ſcriptura non eam ſolùm vim tribuit ſanguini Chriſti, vt nos excitet ad amorem & fiduciam in Deum, ſed etiam vim intrinſecam ad lauanda peccata, & emundandas conſcientias; vt quod ſanguis animalium in ſacrificijs oblatus præſtare non poterat, hoc præſtet ſanguis Chriſti, vti ex profeſſo probat Paulus ad Hebr: 9. & 10. At certè ſanguis animalium poterat in nobis excitare amorem in Deum & fiduciam, repreſentando illius promiſſiones de remittendis peccatis; neq; tamen à Paulo dicitur vim habuiſſe ad auferenda peccata: non igitur vis illa ſanguinis Chriſti ad auferenda peccata in excitatione poſita eſt, quæ etiam ſanguini animalium competebat; ſed in vi intrinſeca ad tollenda peccata, ſiue per modum pretii, ſiue per modū ſatisfactionis, ſiue per modum meriti: omnibus enim his modis eſt vis intrin-

Digitized by Google

ſeca in ſanguine Chriſti ad tollenda peccata; vti ſcripturis in dicto libro à nobis demonſtratum eſt. Quocirca negare ſanguinem Chriſti vim ex ſe habere ad auferenda peccata, vti Moſcorouius negat, eſt negare ſanguinem Chriſti, eſſe verum precium redemptionis noſtræ, Chriſtumq; non pro peccatis noſtris propriè & immediatè ſanguinem fudiſſe, ſed pro excitatione in nobis amoris & fiduciæ in Deum: neque nos ipſo ſanguine Chriſti à peccatis ablutos eſſe, ſed ſolùm ſanguinē Chriſti nobis indicaſſe aliā quampiam rem, qua ablueremur, & ad eam nos excitaſſe: ſicut ſi quis manu indicet aquam, qua abluar, non diceretur me manu propria lauare. Quæ omnia aſſerere, quid quæſo aliud eſt, quàm omnes ſcripturas peruertere, & vim propriam ſanguini Chriſti, quam ſcriptura prædicat, auferre?

Poteſtas ſaluandi. Similiter cùm ait, Chriſtum morte ſua perueniſſe ad eam ampliſſimam poteſtatem, qua nos ſaluare, hoc eſt in anima & in corpore reſuſcitare, & immortales reddere (hoc enim per poteſtatem ſaluandi Ariani cum Socino intelligunt) poſſit; quid hoc totum facit ad lauandum nos à peccatis & auferenda peccata: aliud enim eſt remittere peccata; aliud nos in corpore & in anima immortales reddere. hoc illi Chriſto tribuunt; illud Deo ſoli reſeruant. Ex quibus patet, nullo modo negari poſſe, ſanguinē Chriſti eſſe veram cauſam remiſſionis peccatorum: ſiquidem expreſſè ſcriptura dicit, ſanguine Chriſti lauari, tolli, redimi, remitti peccata noſtra.

Spiritus S per inſufflationem datus. Adduxeram & aliud exemplum de Spiritu S. quem Chriſtus per inſufflationem dediſſe Apoſtolis legitur, Ioan: 20. Ad quod reſpondet Moſcorouius: Factum illud Chriſti ſingulare, nihil virium ad dogma commune conſtituendum habere. At nos ex hoc facto Chriſti, non dogma commune conſtituimus, ſed errorem Moſcorouij refellimus, cùm aſſerit res externas & materiales effectum ſpiritualem non efficere; cùm enim eiuſmodi effectus, Deus tam frequenter per externas res efficiat, vt oſtendimus, non debet incredibile videri, per Baptiſmum quoque aquæ, remiſſionem peccatorum in nobis efficere; aut ſaltem ex hoc capite quòd Baptiſmus res externa & materiata ſit, negari non debet, remiſſionem peccatorum non præſtare, vti ineptè colligit Moſcorouius.

Error Moſcorouij. At multò abſurdius eſt, illud quod negat Chriſtum Ioan: 20. Spiritum S. Apoſtolis verè & re ipſa dediſſe. Quid incredibilius? An né luſiſ-

Digitized by Google

ne iuſſiſſe Chriſtus Apoſtolos videtur, cùm eos id accipere iubebat, quod illis tunc verè non dabat? anné tunc poteſtatem remittendi peccata, quæ ſine Spiritu ſancto nulla eſt, ipſis verè non dabat? anné inſufflatio ipſa veram & realem communicationem Spiritus S. non deſignabat? At in errorem impulit Moſcorouium, id quod Ioan: 7. 39. legitur: *Nondum fuiſſe Spiritum datum, quia nondum eſſet Ieſus glorificatus.* quæ verba non de quacunque Spiritus S. datione, ſed de illa ſpectabili & ampliſſima, quæ die Pẽtecoſtes facta eſt, loci ipſius circumſtantiæ teſtantur: alioqui dicendum eſt, tempore Chriſti in nullo Spiritum S. fuiſſe, nec vlli datum fuiſſe, quod & abſurdiſſimũ eſt, & ſcripturis repugnans, quæ multos tunc Spiritu S. plenos fuiſſe teſtantur, vt in Ioanne, Zacharia, Eliſabetha, Simeone, & aliis perſpicuum eſt.

Huc facit & illud exemplum de fide, quæ etſi ſecundùm ſe ſpiritualis ſit; per prædicationem tamen externam nobis infunditur. Verè enim dictum eſt ab Apoſtolo, fidem eſſe ex auditu; auditum autem per verbum Dei. & *quomodo credent ſine prædicante?* Reſpondet Moſcorouius, prædicationem externam, vocis humanæ & auditus miniſterio, verbum Dei ad ad animum tranſmittere, vt ei aſſentiendo, fides excitetur; non verò vi ſua fidem conferre. Verùm negari non poteſt prædicationem externam, & verbum externum eſſe ſuo modo cauſam Fidei; id enim & ſcriptura docet iis verbis, quæ cauſæ rationem indicant, & ratio ipſa teſtatur, cùm veriſſimum ſit, eum qui credit verbo Dei, propter prædicationem eius auditam credere, licet ad credendum ſola prædicatio non ſufficiat, ſed gratia Dei præterea ſit opus, quæ mentem interiùs illuminet, & excitet, vt idcirco Fides dicatur non ex nobis eſſe, ſed Dei donum eſſe. Eph: 2. 8. quia præter prædicationem gratia quoque Dei excitans & adiuuans requiritur.

Verbum eſt ſuo modo cauſa fidei.

Ex quibus omnibus conſequitur per externam rem & materiatam res ſpirituales Diuina virtute effici poſſe, idque tunc reipſa fieri, cùm rebus externis & materiatis talis effectus in ſcriptura tribuitur: ſicut & Baptiſmo aquæ tribui ſatis à nobis demonſtratum eſt.

Alterum fundamentum Moſcorouij eſt, cùm ait nos non aliter quàm verbo Dei regenerari: quare omnis alius modus regenerandi, qui non ſit per verbum Dei, admitti non debet. Verùm errat toto cœlo Moſcorouius, quia aliud eſt nos per fidem iuſtificari, quod ſcri-

Non ſoli Fidei iuſtificatio tribuitur.

ptura affirmat; aliud per ſolam fidem nos iuſtificari: quod ſcriptura nuſquam affirmat. Etenim cùm ait, nos fide iuſtificari, excludit quidem opera legis: quia addit *ſine operibus legis*, Rom: 3. 28. Gal: 2. 16. At non excludit opera fundata in fide, vt eſt opus charitatis diffuſæ in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis. diſertè enim ſcriptum eſt, eam fidem, quæ iuſtificat, eſſe fidem per charitatem operantem, Gal: 5. 6. *In Chriſto*, inquit, *Ieſu*, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Itaque niſi fides ſit charitati coniuncta, iuſtificari non poterit. Charitas autem fidei coniuncta, non minùs, quàm ipſa fides nos iuſtificat. Maior enim fide eſt charitas. 1. Cor: 13. 13. vbi etiam ſine charitate, nec fidem, nec quidquam aliud valere diſertè docet S. Paulus.

Sed & operibus in Fide fundatis.

& Sacramentis.

Non ſolùm autem charitatem & opera in fide fundata ad iuſtificationem valere ſcriptura docet, ſed & Sacramenta nouæ legis, quæ itidem in fide fundantur, & iis non minùs quàm fidei iuſtificatio & ſalus noſtra tribuitur. Neque enim ſcriptum eſt, qui crediderit tantùm, ſed *qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* Marci 16. 16. Et, *Baptiſetur vnusquiſque veſtrum in remiſsionem peccatorum.* Act: 2. 38. *Baptiſare & ablue peccata tua.* Act: 22. 16. Et, *Quicunque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis*, Gal: 3. 27. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan: 6. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ioan: 20. Quocirca cùm Sacramentis æquè ac fidei tribuatur iuſtificatio, nonniſi ineptiſſimè argumentatur Moſcorouius ex eo, quod dicatur, fides nos iuſtificare dici non poſſe, Sacramenta nos iuſtificare. Vtriq; enim tribuitur iuſtificatio, vtrumque nos iuſtificat. Qui enim credere ſolùm vellet, ſed Sacramenta ſuſcipere nollet, talis per fidem non iuſtificaretur; ſicut neque, ſi quis Sacramenta ſuſcipiat ſine fide, iuſtificari poterit.

Sacramenta ad iuſtificationem inſtituta.

Negat Moſcorouius, Sacramenta nouæ legis eſſe ad iuſtificationem conſequendam inſtituta. At ex ſcripturis manifeſtiſſimis oppoſitum à nobis demonſtratum iam eſt. Nam & verba illa, *qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit*, de Baptiſmo aquæ accipienda eſſe, clariſſimè oſtendimus: ſicut & illa Ioan: 6. *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, non niſi de pane Euchariſtico accipi poſſe. Inſulſè verò obiicit Moſcorouius, de eo pane Chriſtum loqui, ex cuius eſu neceſſario vitam æternam conſequamur. Atqui, inquit, ex eſu panis Euchariſti-

chariſtici non neceſſario vitam æternam conſequimur; cùm ſcriptũ ſit, eum qui manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reum eſſe corporis & ſanguinis Domini. Non aduertit ſanè Moſcorouius, ex eſu panis illius, neceſſariò vitam æternam cõſequi, non abſolutè ſed ſolùm ſi dignè ſumatur. Quod ita certum eſt, vt etiamſi de eſu non Sacramentali, ſed de eo, qui fit per ſolam fidem, verba Chriſti accipienda eſſent, verum eſſet, eos qui ita per fidem illum panem ederent, vt Sacramenta recipere nollent, indignè hunc panem eſuros, neque vitam æternam conſecuturos. Non igitur ita neceſſario eſum huius panis vita æterna conſequitur, vt indignitate ſumentis impediri non poſſit.

Remittere peccata, nõ eſt annunciare.

Addit Moſcorouius, poteſtatem illam remittẽdi peccata Apoſtolis datam, nihil aliud quàm annunciationem continere; nempe credentibus remitti peccata à Deo; non credentibus autem retineri. Inſulſa ſanè interpretatio; vti à nobis in Refutatione diſſolutionis Nodi Gordij c. 13. clariſſimè demonſtratum eſt: quippe cùm annunciare remiſſionem, non ſit remittere: alioqui omnes ij, qui annunciare poſſunt, poſſent etiam dici remittere peccata hominibus, etiam pueri, etiam fœminæ, etiam dæmones, imò & quilibet ſibiipſi remittere peccata poſſet, cùm eam de remiſſione peccatorum ſententiam ſibiipſe repræſentare poſſit. Neque verò Apoſtoli docendo & annũciando remiſſionem, peccata remittebant, ſed oſtendebant credentibus media ad remiſſionem peccatorum conſequendam, Act: 2. 36. *Pœnitentiam agite, & baptiſetur vnusquiſque veſtrûm in remiſsionem peccatorũ.*

Ex quibus etiam infero, verbo Dei nos iuſtificari non poſſe, niſi credamus Sacramentis à Chriſto inſtitutis nos iuſtificari debere. Verbum enim Dei id de Sacramentis teſtificatur, ita vt ſi Sacramentis nos iuſtificari non credamus, verbo Dei non credamus. Si autẽ verbo Dei non credamus, verbo Dei iuſtificari non poſſumus.

Paruulis Baptiſmum aquæ neceſſarium eſſe ad ſalutem, aduerſus Moſcorouium demonſtratur. Cap: VII.

NOn eſſentiam tantùm Baptiſmi, ac eius omnem virtutem Moſcorouius tollit, ſed etiam neceſſitatem euertit. Negat enim paruulos baptiſandos eſſe. Verùm hoc impium dogma, & ad innu-

Digitized by Google

meras puerorum myriadas perdendas à dæmone inuentum, Arianorumque ope & opera promulgatum atque propugnatum, verbis ipſis Chriſti euidenter atq; efficaciter conuincimus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorũ* quæ verba ad Baptiſmum aquæ ſpectare, ſupra contra Moſcorouium luculenter docuimus.

Paruulos renaſci ſpiritu autore.

Verùm excipit Moſcorouius, & ait ea Chriſti verba ad paruulos nullo modo pertinere, qui renaſci non poſſunt: cùm fidei actum, quo nos renaſci ſacræ litteræ docent, non habeant. At nos vrgemus Moſcorouium Chriſti verbis. Omnes enim eos, qui intraturi ſunt regnum cælorum, renaſci oportere Chriſtus expreſſe docet, vt niſi renaſcantur, non ſint intraturi in regnum cælorum. At paruulos intraturos regnum cælorum negari non poteſt. Non igitur negari debet paruulos renaſci poſſe & debere; cùm non alia ratione, niſi renaſcendo, poſſint intrare in regnum cælorum.

Paruuli poſſunt intrare in regnum cælorum.

Porrò paruulos poſſe intrare in regnum cælorum, Chriſtus ipſe aſſeruit; cùm talium eſſe regnum cælorũ palam pronunciauit. Nam cùm Moſcorouius ait, ex verbis Chriſti nihil aliud elici, niſi quòd talium ſit regnum Dei, qui nempe tales eſſent, vt paruuli; id eſt illis malitia ſimiles; annè ideo, quia dicit, talium eſſe regnum cælorum, ipſos excluſit à regno cælorum? imò incluſit: tum quia modus loquendi id patitur: tum quia ſola malitia & peccatum excludit à regno cælorum. Cùm igitur paruulos expertes malitiæ & peccati aſſerat, eo ipſo pro exemplo illos proponit eorum, qui ſunt intraturi in regnum cælorum. Idem docent illæ generales ſententiæ ad omnes homines, etiam paruulos ſpectantes. *Non eſt voluntas apud Patrẽ veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.* Matth: 18. 14. *Omnes homines vult ſaluos fieri.* 1. Tim: 2. 4. vbi etiam ea ratio ponitur, *vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus.* Et Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe paſſim literæ ſacræ teſtantur. Si igitur paruulos vult Deus ſaluos fieri, & pro ipſis Chriſtus mortuus eſt, proculdubio pertinent etiam ipſi ad regnum cœlorum.

Cùm igitur ad intrandum in regnum cœlorum, ex Chriſti inſtitutione prorſus neceſſarium ſit renaſci, & fieri filium Dei, concluditur paruulos quoque renaſci, & effici filios Dei poſſe & debere.

Nam

Digitized by Google

Nam quod innuit Moſcorouius, paruulos extra ordinem eſſe, & extraordinariam cum illis rationem Deum ſeruare; ſi id ita intelligat, vt paruuli extra ordinem eorum, qui ſaluandi ſunt, cenſeri debeant, impius eſt, & ſcripturis contrarius, quæ Dei voluntatem & Chriſti redemptionem ad ſaluandos omnes homines pertinere prædicant: ſi verò eos extra ordinem eſſe vult ſolùm reſpectu adultorũ, quòd non ea omnia ad ſalutem ab illis requirantur, quæ ab adultis. (ſiquidem adulti per proprios actus ſalutem conſequuntur, paruuli nõ item) id etſi veriſſimũ ſit; Deus enim, modo cuiq; naturæ conuenienti ducit homines ad ſalutem; non tamen ex eo ſequitur, paruulos vt intrent in regnũ cœlorũ, regenerari non debere; nulli enim hæreditas illa cœleſtis datur, niſi filiis: quare paruulos ex ſpiritu naſci, & eſſe filios Dei oportet, vt hæreditatẽ regni cœleſtis cõſequantur.

At enim renaſci, inquit, paruuli non poſſunt: ſiquidem credere non poſſunt. Verùm is modus renaſcendi, per fidem propriam, adultorum eſt proprius: qui fidem ex auditu concipiunt. At paruulis aliũ modum renaſcendi, nempe ex aqua & Spiritu ſancto, prouidit Chriſtus, ipſorum naturæ & ætati conuenientem: qui ſicut alieno actu peccatum contraxerunt: ita aliena fide (nempe fide Eccleſiæ) à peccato liberantur, & renaſcuntur in Chriſto, recipiendo Baptiſmum, qui eſt fidei vera profeſſio: Et verò cùm ſcriptura regenerationem noſtram tribuat, non tantùm fidei; ſed etiam aquæ ac Baptiſmo, vt præcedenti capite demonſtratum eſt: inſulſum prorſus eſt, ſi paruulis actus credendi non competat, negare iiſdem regenerationem, cùm præter fidem propriam oſtendatur in ſcriptura alius quoque ex aqua & Spiritu S. renaſcendi modus. Et quidem adultis, ſine fide propria, per Baptiſmum non contingit regeneratio, quòd vtrumque ab iis lege Diuina requiratur, & Fides & Baptiſmus: à paruulis verò cùm fides propria requiri non poſſit, Baptiſmus iis ad regenerationem ſufficit, in fide Eccleſiæ collatus: in eo enim ex aqua & ſpiritu renaſcuntur. *Renaſcendi modus duplex.*

Verùm enimuerò in eo decipitur Moſcorouius, quòd putet, idẽ eſſe renaſci & credere: cùm credendi actus ſit tantùm medium ad natiuitatem ſpiritualem, & ad eſſe filiorum Dei; non verò eſt ipſa eſſentia filiorum Dei. Id ita eſſe manifeſtum eſt: etenim ſi in actu credendi eſſentia filiorum Dei conſiſteret, ſublato vel ceſſante

Digitized by Google

actu credendi, ceſſarent homines eſſe filij Dei; & reſumpto actu fidei, iterum renaſcerentur filij Dei; quod ita abſurdum per ſe eſt, vt alia refutatione non egeat. Quis enim credat, homines cùm actu de fide non cogitant, ſed aliis occupantur, deſinere eſſe filios Dei; & cùm iterum credere incipiunt, iterum incipere eſſe filios Dei. Nemo enim deſinit eſſe filius Dei, niſi per peccatum; & Spiritus S. per quem efficimur filij, habitat in nobis permanēter tanquam in templo ſuo, donec per peccatum à nobis excludatur; vti ex innumeris ſcripturæ locis perſpicuum eſt. Deinde ſicut in generatione naturali, acquirimus formam, quæ ſit principium operationum naturalium, ita vt nō operationes ſint eſſentiæ rerum naturalium, ſed formæ à quibus operationes proficiſcantur: ſic & in generatione ſpirituali acquiritur in anima eſſe ſpirituale & ſupernaturale, quod ſit principium operationum ſpiritualiū, & ſemper in nobis maneat: cuiuſmodi ſunt habitus fidei, ſpei, & charitatis, & cæterarum virtutum donorumque Spiritus S. Ratione horum itaque habituum, cū nobis à Deo infunduntur, dicimur renaſci & effici noua creatura: quia ad omnes actiones ſpirituales filiorum Dei perfecti reddimur, & vt ſcriptura ait, Chriſtum induimus. Gal: 3. 27.

Ex quo apparet, quòd licet ab adultis Deus requirat actum credendi, vt eis hos habitus infundat: non tamen in actu credendi eſſentia filiorū Dei conſiſtit, ſed in habitibus ipſis: quos ſicut Deus ſine vllo præcedente actu credendi infundere poteſt: ita de facto infantibus infundit virtute Baptiſmi à ſe inſtituti. Nam neque ab infantibus actum fidei requirere poteſt, qui eis eſt impoſſibilis: neque talis actus ex natura rei ad infuſionem habituum requiritur, vt ſine illo infundi non poſſint. Patet id perſpicuè in S. Ioanne, qui in vtero materno repletus eſt Spiritu S. & donorū ſpiritualium plenitudinē accepit, nullo ſuo actu, quo ſe ad talē receptionem diſponeret, præcedēte.

Ioannes fuiſſe renatus in vtero.

At negat Moſcorouius Ioannem tunc fuiſſe regeneratum: quaſi, qui Spiritum S. accepit, non ſit verè regeneratus, nec ſit noua creatura & filius Dei. Spiritus enim S. cùm replet animam, non manet otioſe, ſed renouat illam donis ſuis, Rom: 5. 5. Quæ renouatio efficit illam ſpiritualem & nouam creaturam, ad Deum ſupernaturali ratione conuerſam. Vnde Rom: 8. 15. Spiritus Chriſti habitans in nobis, dicitur *Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, &*

reddi

Digitized by Google

reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes.

Porrò quod de S. Ioanne Baptiſta dicimus, idem de paruulis innocentibus cum vniuerſa Eccleſia Catholica fatemur, qui eo quòd Chriſti cauſa occiſi ſunt, priuilegium martyrum à Chriſto promulgatum, poſtmodum verbis illis, (*qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam,*) obtinuerunt. Quin & de circumciſis ante Chriſtũ idem omnino ſentiendum eſt. Neq; dubitet Moſcorouius eos regenerari, quos Deus ſaluat: Non niſi enim Spiritu ſuo renouatos ad vitam æternam admittit. Cùm igitur, infantes ſaluari, dubitari non debeat: pari ratione dubitandum nõ eſt, eos Spiritu S. renouari & regenerari.

Ineptè verò negat Moſcorouius, paruulos ab Herode peremptos pro Chriſto occubuiſſe, quòd rumorem ſolùm de Chriſto nato à Magis ſparſum, necis illorum occaſionem fuiſſe, aſſerat: quaſi verò nõ ſatis conſtet, vt Chriſtus inter ipſos occideretur, eos ab Herode occiſos eſſe, ita vt meritò Chriſti cauſa occiſi dici debeant, quem non loquendo, ſed moriendo cõfeſſi ſunt. Damnum verò vitæ temporalis ſua cauſa acceptũ, vita æterna ſe compenſaturum promiſit Chriſtus. *Infantes pro Chriſto ab Herode occiſi.*

Ait porrò Moſcorouius hoc intereſſe inter generationem naturalem & ſpiritualem, quòd in illa res generanda, cùm nondũ exiſtat, non concurrit vllo actu proprio ad ſui generationem. At in hac hominis præexiſtentis ratio & voluntas concurrere neceſſariò debet cum Spiritu Dei & Euangelio: alioqui, ni concurrat, generatio ſpiritualis non ſubſequetur.

At errat toto cœlo Moſcorouius, ſi hunc concurſum hominis ad ſui generationem ſpiritualem ex naturâ rei neceſſarium eſſe exiſtimat: cùm generatio ſpiritualis in infuſione donorum permanentium, & habituum ſupernaturalium, qui abſque vllo actu noſtro infundi nobis à Deo poſſunt, conſiſtat, vt pauló ante oſtenſum eſt. Solùm igitur concurſus noſter ex lege Dei in adultis requiritur, vt per fidem & voluntatem ſuam liberam ſe promoueant ad generationẽ ſpiritualem, quæ lex infantes non afficit, nec afficere poteſt: Cùm ij per ætatem talis legis capaces non ſint, etſi ſint capaces generationis ſpiritualis, quæ in Spiritus S. & donorum permanentium à Deo receptione poſita eſt: quæ quidem dona & habitus non eſt neceſſe, vt ſtatim erumpant in actus, ſed ſatis eſt, vt ita perficiant potentias hominis, vt eam perfectam & idoneam reddant ad actus ſibi conuenientes *Refellitur Moſcorouius.*

Digitized by Google

uientes efficiendos. Nam etiam potentiæ rationales ſunt in infantibus, quæ tamen non niſi longo poſt tempore erumpunt in actus.

Ex quibus patet fidem requiri quidem à Deo, tam ad regenerationem, quàm ad Baptiſmum; ſed in adultis, qui talis actus ſunt capaces: abſolutè tamen, neque ex natura rei requiritur actus fidei ad regenerationem: neque ex lege Dei ab infantibus, ſiue ad regenerationem, ſiue ad Baptiſmum: ſiquidem talis legis capaces non ſunt: ſunt tamen capaces regenerationis; quia ſunt capaces ſalutis ex voluntate Dei volentis eos ſaluare. Nullus autem ſaluatur, niſi regeneratus ex Spiritu S. & factus noua creatura.

Nam quod ait, renaſci in paruulos non cadere: quippe qui nec dextram, nec ſiniſtram norunt, non intelligit, non vnum eſſe modũ renaſcendi: etſi enim paruuli per proprium actum, vt adulti, renaſci non poſſint; renaſci tamen abſque proprio actu poſſunt per virtutẽ Baptiſmi ex aqua & Spiritu S. vti Chriſtus docuit: cùm non ſit de eſſentia regenerationis, per proprium actum renaſci, vti probatum eſt.

Ait Moſcorouius, ſe paruulos Baptiſmo non priuare, cùm ad Baptiſmum nulla ratione pertineant: neque eò quòd priuentur Baptiſmo, ſequitur eos priuari vita æterna: cùm aquæ Baptiſmus non conferat vitam æternam; idq; non eſſe Dœmonis inuentum, ſed Apoſtolicam doctrinam, in externis rebus, Dei regnum non conſtituere, ſed oportere homines piè viuere, ſi ſaluari velint. At nimis inſulſa eſt hæc euaſio. Nam quod ad primum attinet, negari non poteſt, infantes ab Arianis Baptiſmo priuari, ad quem illi ius habent idem, quod & ad ſalutem. Eo enim iure, quo ſaluari debent, debent renaſci ex aqua & Spiritu S. & fieri noua creatura, apta idoneaq; Regno cœlorum. Pertinent igitur infantes ad Baptiſmum: & quidem ſummo iure, quo dari maius non poteſt, nempe iure ſalutis, quam illis Deus offert: pertinent iure Chriſti, qui pro iis omnibus, pro quorum ſalute mortuus eſt, Baptiſmum inſtituit. Pertinent iure ſcripto, & in ſacris literis toties expreſſo, in illis generalibus ſententiis, quæ omnes omnino comprehendunt. Pertinent denique iure Præſcriptionis: Huius enim iuris poſſeſſionem & vſum ſemper habuerunt in Eccleſia Dei ab ipſis temporibus Apoſtolorum. Id autem, quod communi vſu fidelium receptum eſt, nec ab aliquo Concilio vel homine legitur vnquam inſtitutum, ab Apoſtolis traditum, & à Chriſto manda-

Infantes ius habent multiplex ad Baptiſmum.

tum ac

Digitized by Google

tum ac inſtitutum cenſeri debere, meritò aſſerit Auguſtinus, & nos contra Smalcium in noſtro de erroribus Arianorum libro ad initiũ probauimus.

Cùm igitur tam multiplici, eoq́ue maximo iure infantes ad Baptiſmum pertineant, nemo non videt, Arianos, cùm illis Baptiſmũ negant, alieni iuris inuaſores eſſe crudeles; tantoq́; crudeliores, quòd in animas non in corpora ſæuiant, & innumeros homines, Chriſti ſanguine redemptos, à Diuina gratia & à regno cœleſti in æternum per ſummum ſcelus ac impietatem arceant.

Iam quod ait, Baptiſmum vitam æternam non conferre, eum & nouum errorem eſſe fidelibus hucuſq; inauditum, & quàm plurimis ſacrarum literarum teſtimoniis repugnantem, ſuprà demonſtratum eſt. Quod verò in ſuæ cauſæ defenſionem adducit ex ſcripturis, Regnum cœlorum non conſiſtere in rebus externis, nec ſcripturam intelligit, nec eà ad rem vtitur. Nam etſi in rebus externis ſecundùm ſe ſpectatis nõ conſiſtat regnum cœlorum, cùm ſecundùm ſe nullam vim habeant ad nos iuſtificandos, & vita æterna donandos: ſi tamẽ ſpectentur, vt ſunt à Deo inſtitutæ & præceptæ, ad ſalutem noſtram plurimùm faciunt; adeò vt ſi contemnantur, interitum animæ afferant: ſi verò ex Chriſti obediẽtia legitimè fiant ad eos fines, ad quos ſunt inſtitutæ, plurimùm ad ſalutem conferant, vel ex obedientia ipſa (factus enim eſt Chriſtus omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ) vel ex vi ſibi à Chriſto indita ad ſpiritualia bona cõſequenda, vti de Sacramentis credimus. Hoc igitur modo Paulus intellexit, cùm Rom: 14.17. ait, *Regnum Dei non eſſe eſcam & potum, ſed iuſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S.* Eſca enim & potus temporalis, ſecundùm ſe ſpectata, nihil faciunt ad ſalutem, ſiue manducetur, ſiue non: non tamen hoc diceret Paulus de eſca Sacramentali, de qua 1.Cor: 11.29. ſcriptum reliquit: *Qui enim manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Similiter non diceret id de aqua Baptiſmi, quæ licet externa ſit, tamen vſurpari iubetur in remiſſionem peccatorum, Act: 2. Similiter & de impoſitione manuũ, per quam dabatur Spiritus S. & de ſanguine Chriſti, quo redẽpti ſumus, nequit dici ſine inſania incredibili, quòd in eo nõ ſit ſalus. Cùm igitur aquæ Baptiſmus non ſit res prophana, ſed ſacra, à Chriſto inſtituta in remiſſionẽ peccatorũ, vti probatum eſt, non poteſt de

Res externæ ad ſalutem conferunt.

 eo dici,

Digitized by Google

eo dici, quòd nō ſit poſita in eo noſtra ſalus. *Qui enim crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* Ad eas res externas, quæ merè prophanæ ſunt, id pertinet; non ad ſacras, quæ cùm vel vim ſpiritualem ex inſtitutione Chriſti habent, vel lege Dei iniuncta nobis ſunt, ad ſalutem plurimùm faciunt.

Piè viuere quo ſenſu ad ſalutem requiratur.

Cùm verò Moſcorouius ait, oportere homines piè viuere, ſi ſaluari volunt: hoc de iis propriè intelligi debet, quos lex Dei de piè viuendo & ſeruandis Dei mandatis data comprehendit. Infantes verò legis capaces nō ſunt, nec obligari vt aliquid faciant aut omittant, poſſunt. Quanquam non nego infantes quoque piè viuere ſuo modo & pro ſuæ ætatis ratione: nam & in ſe pij ſunt, ſanctificati à Deo per Baptiſmum, & impium nil contra Dei præcepta admittunt. Si ergo piè viuere opus eſt ad ſalutem, oportet infantes prius in ſe ipſis pios effici per Baptiſmum, & nihil impium cōtra Dei præcepta agere: quæ pietas infantibus & poſſibilis eſt, & maior ab iis requiri non poteſt. Niſi verò per Baptiſmum ſanctificētur, & ij hoc eſt perfecti ad piè operandū, per dona à Spiritu S. infuſa efficiantur, etiamſi nihil contra præcepta Dei operentur, dici non poſſunt piè viuere. is enim dicitur piè viuere, qui, cùm in ſe pius ſit, contra Diuina præcepta non agit. Idcirco verò infantes contra Dei præcepta non agūnt, quia nulla pręcepta ſunt eis impoſita, ſed in pietate ſua interna viuūt & perſeuerant, ſine offenſa Dei, pro ſuo modulo & ætatis ratione.

In rebus externis quomodo confidendum.

Similiter cùm addit, non eſſe opus in rebus externis confidere, eadem ratione reſpondendum eſt. Si enim tales ſunt res externæ, in quibus nihil quod ad ſalutem faciat conſtitutum eſt à Chriſto, ſed ſint res omnino prophanæ, his nullo modo confidendum eſt in negotio ſalutis; Nullam enim ex ſe vim habent ad nos ſaluandos: at ſi res externæ ſint eiuſmodi, in quibus aliquid momenti Deus eſſe voluit ad ſalutem, in ijs tantùm confidendum eſt, quantùm ineſſe in ijs ad ſalutem Deus voluit: Hoc enim eſt non tàm ipſis, quàm Deo, qui per ipſas nobis ſua beneficia confert, confidere. Talia ſunt Sacramenta, quæ licet externa ſint, ex Chriſti tamen inſtitutione vim habent ad ſalutem, Deo per ipſa nobis ſalutem conferente. Etenim ſi omittantur & contemnantur, interitum afferunt: quod ſi ritè adminiſtrentur, ſalutem conciliant, Chriſto ſic volente & inſtituente.

Pergit Moſcorouius: paruulos renaſci non poſſe, cùm nondū ſint

ſint corrupti: noſtra enim regeneratio eſt à vetuſtate peccati ad nouitatem vitæ: Paruuli autem nullam peccati corruptionem ſiue vetuſtatem habent. At hoc ipſum eſt telum, quo ex Scripturis iugulantur prorſus Ariani. Etenim paruuli, etſi per proprium actum, nullo peccato ſe infecerint, aut inficere potuerint: tamen ſcriptura docet in eos peccatum Adami pertranſiſſe, etiamſi non peccauerint in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Rom: 5. 12. *Per vnum enim hominem peccatum introiuit in mundum, quia in vno homine omnes peccauerunt: ſicut & gratia Dei, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in omnes homines abũdauit.* Et ſicut peccatum omnes ab Adamo tunc contrahunt, cùm ex ipſo oriuntur & generantur: ita & gratiam Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti omnes accipiunt, cùm ex eo ſpiritualiter regenerantur. *Infantes moſci in peccato originali.*

Scio Arianos in ſua Catecheſi hoc tam illuſtre Pauli teſtimonium, Grammatica elludere velle. Aiunt enim in Græco verba illa ἐφ᾽ ᾧ, non minus verti poſſe, *in quo*; quàm, *Quoniam* vel *quatenus*, vel *eò quòd omnes peccauerunt.* Quaſi verò ex ſola Grammatica vim faciamus (pro qua tamen habemus, omnes Patres Græcos & Latinos) & non potiùs in reipſa. Etenim, etiamſi ita, vt aduerſarij volunt, vertantur illa verba: nihilominus peccatum originis ex illis omnino adſtruitur. Si enim legamus per peccatum in omnes homines mortem pertranſiſſe, quoniam omnes peccauerunt, ſequitur, infantes quoq; peccaſſe: quandoquidem in eos quoque mors pertranſiit: & ideo pertranſiit, quia peccauerunt. At infantes non peccauerunt actu & voluntate propria: ergo neceſſariò ſequitur actu Adami, in quo tunc continebantur, peccaſſe, & ex eo peccatum naſcendo contraxiſſe. Deinde quòd aliter Adami (qui eſt forma futuri) & Chriſti comparatio minimè conſtat, quæ in eo tota eſt, quòd ſicut ex vnius Chriſti gratia & iuſtitia, in omnes homines gratia Dei & iuſtitia abundauit: ita ex vnius hominis peccato, in omnes homines peccatum pertranſiit. Et ſicut per vnius hominis peccatũ mors in omnes homines dimanauit: ita per vnius Chriſti iuſtitiam, vita in omnes homines profluxit. *Iudicium*, inquit, *ex vno* delicto *in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem*: quæ verba indicant, ob vnius Adami delictum, latam eſſe contra omnes homines ſententiam condemnationis talem, vt non niſi per Chriſtum ab ea *Infantes à Chriſto iuſtificari.*

libera-

liberentur. Adhæc mortem ait, non niſi per peccatum ingreſſam eſſe: Cùm ergo ſinguli homines moriantur, ſinguli quoque vnius illius peccati ſunt participes.

Quî peccatũ per vnum hominẽ intrauit in mundum.

Denique quomodo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum? an quia primum peccatum in mundo fuit illius? At ante hominem peccauerunt dæmones, ac per eos peccatum inuectum eſt & ingreſſum in mundum. An quia peccatum Adami omnes imitantur? At dæmonis potiùs peccatum imitantur homines, quàm Adami. Nam de dæmone dictum eſt: *ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, & *vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere*: & *qui facit peccatum, ex diabolo eſt*: quia ſcilicet ex eius inſtinctu, & peccandi ab ipſo propoſita ratione peccat. Quocirca hæc imitatio, in diabolum, non in Adamum referenda eſt: cum enim omnes imitantur, quia eius ductum & præſcriptum percipiunt. Denique ℣. 14. dicitur, *mortem regnaſſe etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*: ergo non propter imitationem peccati Adæ, ſed propter verum peccatum origine ex Adamo contractum omnes ſumus ſubiecti morti: ſiquidem non niſi ratione peccati ſubijcimur morti. Ex quo patet non alio modo per primum hominẽ peccatum intraſſe in mundum, niſi quia ſuo peccato totum mundum infecit, & morti ac aliis pœnis ſubiecit: in quo erat forma futuri Adami, id eſt Chriſti, vt dicitur ℣. 14. quia ſicut ipſe ſuo peccato infecit omnes & morti ſubiecit: ita Chriſtus ſua iuſtitia iuſtificauit omnes, & vitæ æternæ fecit eſſe participes.

Omnes naturâ filij iræ

Porrò non minus indicat Paulus peccatum originale, Epheſ: 2. 3. cùm ait: *Eramus omnes naturâ filij iræ*: naturâ, inquam, non conſuetudine, nec imitatione, ſed conditione & vitio naturæ, in qua naſcimur. Naſcimur enim filij iræ; quia in peccato naſcimur: Vbi enim ira eſt, ibi & peccatum. Opponit verò naturam gratiæ; & id quod ſumus ex natura, ei quod efficimur ex gratia Chriſti: & ſicut, ait, nos naturâ eſſe filios iræ; ita mox addit, nos gratia Chriſti ſaluatos eſſe. Quocirca explodenda eſt illa tam violenta aduerſariorum expoſitio, cùm naturam pro Verè ac Reipſa, accipi docent: quod & violentum prorſus eſt ac inuſitatum, & ad locum Pauli accõmodari minimè poteſt. Opponit enim Paulus naturam gratiæ: in qua oppoſitione non poteſt natura, niſi vitium & conditionem naturæ,

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ oppoſitam ſignificare. Ex quo perſpicuum eſt, paruulos renaſci poſſe: ſiquidem per peccatum corrupti naſcuntur, & vt à vetuſtate peccati per regenerationem renouentur opus habent.

Peccatum habituale eſt mors animæ.

Neque verò ita incredibile videri debet, homines in peccato naſci; & peccatum, quod non norunt, naſcendo contrahere. Etenim peccatum non id ſolùm dicitur, quod actu fit & patratur, ſed etiam quod actu ceſſante manet in homine, & habituale dicitur, facitque hominem verè peccatorem eſſe, etiam tunc cum actu nō peccat, eſtque nihil aliud quàm mors animæ. Sicut enim anima viuit Deo, non ſolùm tunc, cùm actus fidei, ſpei, & charitatis exercet, ſed & cùm eos non exercet: habet tamen Diuinam in ſe gratiam, qua perfecta redditur ad tales erga Deum actus exercendos (id quod etiam ſimilitudo vitæ corporalis indicat:) ita & moritur Deo non ſolùm tunc, cùm actus pietati contrarios exercet, ſed etiam cùm priuatur gratia Diuina & iuſtitia habituali, in qua vita animæ poſita eſt. Paruuli igitur, quia gratiam Diuinam & iuſtitiam (quam Deus Adamo ea lege dederat, vt ea ab ipſo per originem in omnes ipſius poſteros dimanaret) per peccatum Adami amiſerunt, idcirco per peccatum Adami verè peccatores conſtituuntur, cùm amiſſio gratiæ Diuinæ verè faciat peccatores.

Porrò ſicut alia beneficia, quæ parentibus pro filiis dantur, amitti vitio parentum poſſunt: ita & gratia Diuina nobis ab Adamo conſeruari potuit, ſi obediens Deo fuiſſet; & amitti per peccatum, ſicut reuera amiſſa eſt. Quæ tota peccati in nos inducti ratio ex Pauli doctrina paulò ante adducta colligitur, ſemperque in Eccleſia Dei credita & prædicata fuit.

Pœna paruulorum quæ?

Hinc etiam apparet quàm falſum ſit, quòd ait Moſcorouius, Deum paruulos nunquam puniturum eſſe tanquam noxios, neque paruulos pro damnatis cenſeri poſſe: cùm enim ſecundùm ſcripturam paruuli naſcantur Filij iræ, certè conſequens eſt naſci filios punitionis & damnationis: & cùm peccatum ab vno tantùm, vnàcum morte in omnes omnino homines pertranſijt, fit vt quemadmodum paruuli non excipiuntur à peccato; ita nec à punitione, cuius cauſa ſufficiens eſt peccatum. Quod non eo ſenſu dicimus, vt eos velimus torqueri in inferno pœna ſenſus: hæc enim ijs tantùm peccatis debetur, quæ propria voluntate contrahuntur, ſed tantùm aſſerimus,

Digitized by Google

eos vitæ æternæ amiſſione puniri: hoc eſt priuari eo beneficio, quod habuiſſent, ſi illud Adamus ipſis non amiſiſſet, aut ſi illud per gratiam Chriſti in Baptiſmo recuperaſſent: quæ dicitur à Theologis pœna damni. Id quòd ſecundùm ſcripturas affirmari omnino debet, quæ docent & omnes Adami peccato infectos eſſe in condemnationem; & nullum niſi renatum per gratiam Chriſti, vitam æternam obtinere poſſe.

Temerè verò Moſcorouius, renaſci ad adultos tantùm pertinere aſſerit, cùm Chriſtus ad omnes pertinere voluerit, qui intraturi ſunt regnum cælorum, Ioan: 3. Ex quo numero cùm ſint etiam paruuli (pertinent enim ad regnum cælorum) pertinebunt quoque ad eorũ numerum, qui renaſci ex ſpiritu poſſunt & debent: maximè cùm hæc regeneratio, non in actibus aliquibus elicitis poſita ſit, ſed in donorum ſupernaturalium, quæ nos ad Deum conuertant, infuſione.

Diuerſa ratio adultorũ & paruulorum.

Addit Moſcorouius, Baptiſmum aquæ, ſi ritè inſtituatur, non niſi à prudente & volẽte ſuſcipi poſſe: imò nonniſi à credente. Non igitur paruuli, qui rationis vſu deſtituuntur, poſſunt Baptiſmum recipere. At fallitur Moſcorouius. Ab adultis enim, qui ratione & iudicio gubernantur, legitimè recipi non poteſt, niſi prudenter & cum fide recipiatur. At paruulorum alia eſt ratio & conditio. Etenim cùm ij, propria voluntate & iudicio non gubernentur, ſed alieno; eiſdem per alienam opem & fidem Baptiſmum conferri oportet: ſicut & alia beneficia paruulis, per eos, qui curam eorum gerunt, conferuntur. Quare cùm Chriſtus prædicationem Euangelij & fidẽ voluit præcedere Baptiſmum, Marc: 16.16. id aliter ad adultos quàm ad paruulos pertinere voluit, nempe prout ſingulorum natura & conditio poſtulat: id enim & ſapientia illius & bonitas, qua omnes ſaluare vult, requirebat. Quare adultis prædicari Euangelium voluit, tam pro ipſis, quàm pro paruulis, nempe vt & ipſi proprio actu crederent, & credendo reciperent Baptiſmum; infantibus verò ſacramentum fidei, hoc eſt Baptiſmum conferrent; qui ſicut aliena voluntate peccauerunt; ita aliena fide & ad Baptiſmum peruenire & ſaluari poſſunt. Negari igitur minimè poteſt, eos & Baptiſmi & fidei, pro ſuæ ætatis conditione capaces eſſe. Licet enim proprio actu credere minimè poſſint: ijs tamen aliena fides, ſicut & ad alias omnes res aliena opera, ſufficit; & cùm in Baptiſmo renaſcuntur, recipiunt

Digitized by Google

cipiunt veram fidem habitualẽ cum cæteris donis & habitibus, quæ in iuſtificatione hominibus infundi certum eſt ex ſcripturis.

Arianos cùm omnem Baptiſmi rationem euertant, Chriſtianorum nomen non mereri. Cap: VIII.

MAlè habet Moſcorouium, quòd in Appendice ſcripſerim Arianos pro Chriſtianis habendos non eſſe, quòd Baptiſmum, quo Chriſtiani efficimur, non admittant, eiuſque omnem prorſus rationem tollant. Atque inprimis falſum eſſe ait, nos Baptiſmo aquæ effici Chriſtianos. Verùm erroris Moſcorouiũ coarguunt Acta Apoſtolorum, in quibus c. 2. 41. ſic habetur: *Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptiſati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa, animæ circiter tria millia.* Quid enim eſt per Baptiſmum apponi; niſi ad numerum Chriſtianorum adiungi & fieri Chriſtianum? Etenim iſti etiamſi ante Baptiſmum, fidem haberent, non tamen dicuntur appoſiti, niſi poſtquam Baptiſmo etiam fidem profeſſi ſunt. Et ſanè meritò. Eccleſia enim cùm ſit congregatio viſibilis, non conſtat, niſi ex ijs, qui corde credunt ad iuſtitiam, exterius autem fidem profitentur ad ſalutem. Proprium autem ſymbolum profeſſionis fidei à Chriſto inſtitutum, eſt Baptiſmus aquæ. Quocirca qui illud non admittunt, aut temerè non vſurpant, Chriſtiani non habentur: ſiquidem ad cœtum Chriſtianorum per Baptiſmum admiſſi non ſunt. Ad nullum enim cœtum iure quiſquam pertinet, niſi ad eum legitimè admittatur: ita vt quantumuis ex ſe ſit idoneus, & voluntate paratus ad ea omnia præſtanda, quæ ab illius cœtus hominibus præſtari ſolent: nunquam tamen de cœtu illo eſſe cenſebitur, niſi legitimè ab eodem cœtu fuerit admiſſus. Quamuis autem quis poſſit fidem ore profiteri; tamen ad Eccleſiam, hoc eſt ad Chriſtianorum cœtum non admittitur, niſi publica illa & ſolenni profeſſione, quæ fit per ſuſceptionem Baptiſmi, fidem ſuam profiteatur. Quare & in veteri ac primæua Eccleſia, fideles antequam baptiſarentur, pro Catechumenis tantùm habebantur, neque ad myſteria & cœtus Chriſtianorum admittebantur; imò poſt auditam concionem diſcedere iubebantur, vt omnes ſcriptores Eccleſiaſtici teſtes ſunt.

Per Baptiſmum effici Chriſtianos.

Idem docet Paulus, Gal: 3. 27. *quicunque,* inquit, *in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Etenim ſi baptiſmus efficit, vt Chriſtum in-

duamus, quomodo non efficit, vt Chriſtiani iure nominemur, & ſimus. Eſt enim Baptiſmus, primus ille & ſolennis ritus, qui ad fidem Chriſti venientibus, Diuina inſtitutione offertur, vt illum recipiendo Chriſtum induant, & Chriſtiani efficiantur. Etſi enim poſſit quis, etiam ante Baptiſmum Chriſtum induere, non tamen ita, vt id legitimè Eccleſiæ conſtet, & ad Eccleſiæ ſeu Chriſtianorum cœtum legitimè ea de cauſa admiſſus habeatur. Ad hoc enim non ſatis eſt Chriſtū induiſſe, ſed per Baptiſmum Chriſtum induiſſe. Quanquam eos concedimus ante Baptiſmum poſſe Chriſtum induere, quī & de Baptiſmo rectè ſentiunt, & ad eum recipiendum animo ſunt parati. Qui verò Baptiſmo non credunt, eiuſq; & eſſentiam, & dignitatem, & fructum abnegant, quales ſunt Ariani, ij Chriſtum induere, nec in Baptiſmo, nec extra Baptiſmum vllo modo poſſunt. Denique inauditum eſt aliquem in Eccleſia pro vero Chriſtiano vnquam habitum, qui Baptiſmo tinctus non eſſet: vti ex illa vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine Cathecumenos à myſterijs & cœtibus Chriſtianorum arcendi, & ſolùm ad Diuini verbi prædicationem audiendum admittendi, idque præ foribus Eccleſiæ, & loco à cæteris fidelibus baptiſatis diſtincto, ſatis perſpicuum eſt.

Non baptiſati arcebantur a myſterijs & cœtibus.

Obijcit Moſcorouius, Conſtantinum Magnum pro Chriſtiano Principe ſemper & ab omnibus habitum, poſtquam in Chriſtum credere, & eum profiteri nō dubitauit: cùm & idem, Concilium Nicœnum indixerit, & eidem interfuerit ac præfuerit: Et tamen non niſi vltimo vitæ ſuæ anno Baptiſmum ſuſcepit, vti Eccleſiaſtici teſtantur. At Moſcorouius mendacis Euſebij hiſtoriæ, à quo plerique inducti errorem eundem hauſerunt, fidem habere maluit, quàm cæterorum ſcriptorum, atque adeò totius orbis teſtimonio. Detegit Ariani Euſebij mendacium Baronius in anno Chriſti 324. quo etiam anno Conſtantinum Romæ à Sylueſtro baptiſatum fuiſſe, tam Gentilium Hiſtoricorum, quàm Eccleſiaſticorum auctoritate conuincit; imò & Actis Concilij Romani eo ipſo anno celebrati, & ipſa Conſtantini oratione in Concilio Nicœno habita, quā ſe Baptiſmo initiatum aſſerit; & Actis Sylueſtri, quæ in Eccleſia tantæ fuiſſe auctoritatis, vt publicè in Eccleſiis legerentur, Gelaſius ſcribit: denique & ex occaſione Baptiſmi, quæ non erat alia, quàm curatio lepræ, de qua luculenta, in omnibus hiſtorijs extant teſtimonia; & ex tot extructio-

Error Moſcorouij de Conſtantino Magno in fine vitæ baptiſato.

Digitized by Google

ſtructionibus Eccleſiarum, earumque fundationibus ab ipſo factis, ita vt nullo modo credibile cenſeri debeat, eum toto vitæ tempore Baptiſmum recuſaſſe, qui tot ſanctimoniæ religioniſq; Catholicæ documenta præclara atque inſignia exhibuerit,& poſteritati ſtupenda atque prædicanda reliquerit.

Quanquam id ipſum, quod pro ſe affert, argumentum Moſcorouius, ipſius ſententiam prorſus euertit. Etenim ſi ad Chriſtianorum cœtum Conſtantinus publicè admiſſus fuit, tum in Concilio Nicœno, tum in myſteriorum celebratione, an non euidens argumẽtum eſt, ipſum Baptiſmo iam luſtratum fuiſſe. Nefas enim erat in Eccleſia, quempiam Cathecumenum, id eſt non baptiſatum, ad cœtus & myſteria admitti.

Baptiſmi omnem rationem euertit Moſcorouius. Negat ſecundò Moſcorouius, ſe ſuoſque Baptiſmi rationem omnem euertere. Verùm iam à nobis conuictus eſt. Cùm enim & formam & materiam, & fructum, & neceſſitatem Baptiſmo auferat, nihil aliud ſupereſt, quod Baptiſmo tribuere poſſit, niſi nouus Baptiſmus confringatur: qualis nec à Chriſto fuit inſtitutus, nec ab Eccleſia vnquam vſurpatus. *Formam.* Etenim cùm Baptiſmum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti conferendum eſſe negat contra expreſſam Chriſti inſtitutionem, & vniuerſæ Eccleſiæ, adhæc vſque tempora vſum; Formam ipſam Baptiſmi, ſine qua eſſentia Baptiſmi cõſtare non poteſt, negat. *Materiam.* Materiam verò Baptiſmo ſubtrahit cùm pro aqua aliquem alium liquorem ſubſtitui, nullum eſſe incõueniens reputet, fol. 40. *Efficacitatẽ.* Efficacitatem Baptiſmi tollit, cùm eum nec ad remiſſionem peccatorum, nec ad ſalutem valere, contendit, deniq; *Neceſſitatẽ.* neceſſitatem eius euertit, cùm eum paruulis, hoc eſt magnæ hominum parti, eſſe neceſſarium, negat. Baptiſmo porrò nihil niſi profeſſionem Chriſti nominis relinquit; quod & Baptiſmus Ioannis habebat, in quo fiebat, vt homines crederent in eum, quem Ioannes prædicabat venturum.

Friuola verò eſt illa excuſatio, cùm ait, ſe totum id tribuere Baptiſmo aquæ, quod ei ſcriptura tribuit. Nos enim ex ſcripturis oſtendimus, non ſolam nominis Chriſti profeſſionem Baptiſmo contineri, ſed & totius Trinitatis tum profeſſionem, tum inuocationẽ, idque ad remiſſionem peccatorum conſequendam; & quidem ita, vt niſi quis ex aqua Baptiſmi renatus fuerit, nequeat ingredi in regnum cælorũ.

Digitized by Google

Ait, ſe Baptiſmum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti agnoſcere, ſed eum eſſe Baptiſmum aquæ negare. Sunt enim, inquit, varia Baptiſmata. Sed non elabetur Moſcorouius. Vnus enim tantùm Baptiſmus eſt à Chriſto inſtitutus, & Apoſtolis mandatus, quo omnes homines tingi debent. Inauditum verò eſt Apoſtolos vel alios quoſcunque alio Baptiſmo, præterquam aquæ, vnquam baptiſaſſe: neque aliquando in Eccleſia quis, dictus eſt Baptiſmo Chriſti baptiſatus, niſi qui aquæ Baptiſmo ablutus eſſet, vti ſupra probauimus. Vnde non aliter quàm mera fictio Arianorum cenſeri debet, iſta alterius cuiuſdam Baptiſmi nuſquam antea auditi introductio. Varia quidem & multiplex eſt Baptiſmi in ſcripturis acceptio: At Baptiſmus à Chriſto inſtitutus, omnibus hominibus conferendus, non eſt niſi vnus; neque alio quopiam Baptiſmo, aliquem baptiſatum fuiſſe vnquam legitur.

Vnus Baptiſmus à Chriſto inſtitutus.

Ex quo patet Arianos, cùm Baptiſmum Chriſtianorum, quo ipſi in cœtum Chriſtianorum admittantur, negent, qui eſt Baptiſmus aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. eo ipſo nomen Chriſtianorum negare, & tali nomini renunciare. Nullus enim in communi vſu Eccleſiæ pro baptiſato legitimè habitus eſt, qui nō eſſet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. baptiſatus. Neque verò tueri ſe poſſunt, ſi dicant, ſe in Baptiſmo aquæ Chriſtum profiteri. Nam ipſorum profeſſio Chriſti nomen non adſtruit, ſed euertit. Quid enim eſt Chriſtum non verum Deum, nec verum ac naturalem Dei Filium profiteri, quàm Chriſtum, negare eſſe Chriſtum, & nouum Chriſtum confingere? Negare enim veram eſſentiam rei, eſt rem ipſam negare, cùm res non ſit ſine ſua eſſentia, nec niſi à propria eſſentia dicatur talis. Cùm igitur Ariani Chriſto veram eſſentiam negent, Diuinam nempe eſſentiam, Chriſtum ipſum negare exiſtimandi ſunt. Quocirca priſcis illis temporibus, quibus Ariani eſſe cæperunt, mox illis fuit Chriſtiano nomine interdictum, primùm à Magno illo Conſtantino Imperatore, tum à ſanctis Patribus. Indignum etenim atq; adeò nefas exiſtimabant, illi viri ſanctiſſimi iuxta ac ſapientiſſimi, eos Chriſtianos vocari, qui Chriſti naturam penitus tollerent.

Ariani in Baptiſmo Chriſtum nō profitentur.

Decretum Conſtantini Magni contra Arianos

Et quidem Conſtantinus ex mente Nicœnæ Synodi grauiſſimè cauit, ne Ariani vſpiam Chriſtiani, ſed Porphyriani vocarentur, eo quòd non minùs, ſed æquè ac Porphyrius eſſent Chriſtianæ religionis oppu-

Digitized by Google

nis oppugnatores & euerſores, & proinde eorum libros veluti plenos blaſphemiis ac omni impietate cremari præcepit. Athanaſius vero Sermone 3. & 4. contra Arianos, multis contendit eos & Chriſtianam fidem abolere, & gentiliſmum inducere, cùm & creaturam pro Deo coli, & Baptiſmum in nomine creatoris & creaturæ tribui volunt. Idem cæteros quoque Patres aſſeruiſſe, libri eorundem luculenter teſtantur.

Hic primum Moſcorouius ait, ſi fatetur Aduerſarius nos Chriſtum cõfictum pro vero obtrudere, ergo inquit nos Chriſtum confiteri certum eſt; vt vt in confeſſione illius eſſentiæ erremus. Error enim, inquit, circa eſſentiam, tantum abeſt, vt eſſentiam rei tollat, vt etiam præſupponat. hæc ille: at quàm abſurdè! quis enim ignorat, eum qui fictum Chriſtum confitetur, abſolutè Chriſtum non confiteri, ſed potiùs negare, & ex conſequẽti nõ eſſe verum ſed fictũ & falſum Chriſtianum: cùm non à ficto, ſed à vero Chriſto, Chriſtiani dicantur. Falſus etiam Chriſtianus, non eſt ſimpliciter Chriſtianus, cùm falſum, ſit non ens, & ideo dicatur falſum, quia non eſt. Falſum aurum, non eſt aurum: falſus Adamas, non eſt Adamas. Cùm vero ait, errorem circa eſſentiam, rei eſſentiam non tollere, ſed ſupponere, prorſus quid dicat, haud intelligit. Cùm enim errare circa eſſentiam dupliciter contingat, aut negando ea, quæ ad eſſentiam ſpectant; aut ea tribuendo, quæ rei illius eſſentiam euertunt, vtrouis modo errare circa eſſentiam, nil aliud eſt, quàm tollere rei eſſentiam. Tollere autem procul dubio non eſt ſupponere, cùm ſint iſta oppoſita. *Chriſtum fictũ credunt Ariani.*

Quocirca cùm ſucclamat Moſcorouius, ſe ſuosque, ore, ſcriptis, ſtudiis, coram vniuerſo orbe Chriſtum profiteri, ea iſtorum profeſſio, eſt ipſiſſima Chriſti abnegatio, & ficti Chriſti pro vero ſubſtitutio, indeq; etiam fit, vt quanto plus à ſe confictum Chriſtum confitentur, tanto minus in Chriſtum verum credant.

Ait præterea Moſcorouius, ſe circa eſſentiam Chriſti non errare, etiamſi naturam eius Diuinam negct; cùm eſſentia Chriſti non ſit, niſi illud munus Diuinum, ei à Patre iniunctum. At falluntur vehementer. Vt enim copioſè à nobis in primo de erroribus Arianorũ libro c. 1. demonſtratum eſt, talis Chriſtus, qui eſſet natura Diuina & humana præditus, & ab Apoſtolis prædicatus eſt, & à toto mundo *Chriſtus Diuina & humana natura præditus.*

credi-

Digitized by Google

creditus, neq; quiſquam aſſignari poteſt, qui eam de duplici Chriſti natura fidem in orbē Chriſtianum induxerit, præter ipſos Apoſtolos. Addo quòd error hic, quo Chriſti Diuina natura negabatur in Ebione & Cherinto, Apoſtolorum temporibus, & pro hæreſi agnitus eſt, & à D. Ioanne in ſuis epiſtolis grauiſſimè triplici decreto condemnatus eſt, vti in loco citato probauimus. Non poteſt igitur negari, ad Chriſti eſſentiam, Diuinam quoque naturam pertinere: ſiquidem cum tali eſſentia Chriſtus per Apoſtolos toti Chriſtianorū orbi propoſitus & ab eo creditus eſt.

Futilia verò ſunt & à nobis millies iam confutata, quæ contra Diuinam Chriſti naturam à Moſcorouio afferuntur. Ex ſacris, inquit literis conſtat, Ieſum Chriſtum à Iudæis crucifixum, & à Deo factum Dominum & Chriſtum: quaſi verò eædem ſacræ literæ nō doceant, Ieſum Chriſtum ſecundùm carnem crucifixum fuiſſe: ita tamen vt idem verus Deus fuerit. *Deus enim acquiſiuit Eccleſiam ſanguine ſuo*, Act: 20. *Dominus gloriæ crucifixus*, 1. Cor: 2. 8. Deus etiam verus apud Zachariam ait: *Aſpicient in me, quem confixerunt*, Zach: 12. 10. Paulus verò, eum qui in forma Dei æqualis Deo erat, humiliatum eſſe ait, vſque ad mortem, mortem autem crucis. Phil: 2. Quæ omnia loca à cauillationibus Arianorum vindicata ſunt à nobis in duobus de erroribus Arianorum libris. Quemadmodum & locum illum, Act: 2. de facto Domino & Chriſto, non ita craſſe intelligendū eſſe docuimus; quaſi tunc primum cœperit eſſe Dominus & Chriſtus, quòd omnibus ſcripturis repugnat: ſed quòd tunc reipſa dominium ſuum exercere, & omnibus imperare publicè cæperit, ſubiiciendo ſibi omnia: à qua dominandi ratione, tota vita ſua, noſtræ ſalutis cauſa abſtinuerit, nō ob defectum poteſtatis, ſed redemptionis noſtræ cauſa. quanquam & nouo titulo paſſionis & mortis eandem poteſtatem conſecutum eſſe non negamus.

At modus, inquit, quo factus ſit Chriſtus, exponitur in ſacris literis, dum IESVM à Nazareth vnctum eſſe à Deo, Spiritu S. & virtute commemorant, Act: 10. 30. quaſi verò præter hanc vnctionem, qua à Spiritu S. donis ipſius in humana natura vnctus eſt, non legatur alia eaque præcipua vnctio & ſanctificatio per vnionem Diuinitatis cùm humana natura: qua à Patre ſanctificatus ille homo, & in mundum miſſus eſt, Ioan: 10. Hac enim vnctione effectum eſt, vt homo

Digitized by Google

homo ille ſubſtantialiter eſſet Dei Filius, & ſubſtantialiter Chriſtus: prior verò vnctio accidentaria tantùm erat Chriſto, atque in donis accidentariis conſiſtebat. Porrò hanc ſubſtantialem Diuinæ naturæ cum humana vnionem, ex iis probamus locis, quibus dicitur Verbum caro factum, & formam noſtram aſſumpſiſſe. Non igitur habet Moſcorouius, quod Diuinæ Chriſti naturæ ex ſacris literis opponat, aut noſtram expugnet ſententiam.

Iam quod ad Conſtantinum Magnum attinet, fatetur ingenuè Moſcorouius, ipſum contra Arianos tale decretum ſanxiſſe, quo illos per orbem vniuerſum Chriſtianos vocari vetuit, & vt libri eorũ cremarentur pœna capitis ſanxit; verùm ait in primis, Conſtantinũ in Patribus numerari non poſſe. At neque nos numeramus, ſed cùm id decretum ex mente Patrum condiderit, concludimus eos, tum à Patribus illis, tum à toto mundo, Chriſtiani nominis appellatione indigniſſimos fuiſſe habitos. Deinde Conſtantini in fide conſtantiam in dubium adducit, quem tamen tam Græca, quàm Latina Eccleſia, tanquam piiſſimum religioſiſſimumque Imperatorem ſemper eſt venerata. Ait itaque ipſum paulò poſt & Arium ab exilio reuocaſſe, fratremque in literis nominaſſe, & Athanaſium in Gallias deportari curauiſſe, teſtamentum inſuper ſuum cum fato concederet, Ariano ſacerdoti Conſtanti filio reddendum crediſiſſe. Verùm hæc non ea fide & ſinceritate, qua par fuit, à Moſcorouio recitantur. Etenim Conſtantinus Arium pœnitentiam ſimulantem reuocauit, eũq; Concilio Hieroſolymitano per literas, vt ad communionem reciperetur, ſi rectè in poſterum ſentiret, commendauit. Quod non eſt Arij fidem approbare, ſed ab Ario ſimulante fidem veram, decipi. Athanaſium verò cùm in Gallias deportandum curauit, non cauſa fidei & religionis id factum eſt, ſed ob ingentes Euſebianorum in Athanaſium calumnias, quaſi is frumenti ex Alexandria Conſtantinopolim deportationem impediuerit. Quanquam vltima ſua voluntate declarauit Athanaſium in ſuam eſſe reſtituẽdum Eccleſiam. Similiter & id, quòd ſacerdoti Ariano, qui ſe Orthodoxum ſimulabat, vt ſe in familiaritatem Imperatoris inſinuaret, teſtamentũ concrediderit, minimè ipſius in fide conſtantiam labefactare poſſe, cuique intelligenti per ſe manifeſtum eſt. Quæ omnia ſolidè ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis probantur à Baronio in Anno Chriſti 335, & duobus proximè ſequentibus.

Conſtantini in fide conſtantia.

Ad Athanaſij verò auctoritatem reſpōdet Moſcorouius, Athanaſium non abſolutè pronunciare, Arianos non eſſe Chriſtianos, ſed ſolùm, quid ex Arianorum dogmate conſequeretur, colligere: quaſi vero cùm id ex eorum dogmate conſequi doceat, quòd Chriſtiani iure appellari non poſſint, non ſatis expreſſè pronunciet, ipſos abſolutè Chriſtianos non eſſe.

Addit non poſſe vnius aut alterius factum opponi Arianis; cùm eorum factum legis Diuinæ vigorem non obtineat; imò contumelioſas appellationes pugnare cùm lege Chriſti, vetantis, *fratri dicere, Stulte vel Racha*: quaſi verò factum Conſtantini & Athanaſij non in iure Diuino fundatum fuerit. Quos enim vniuerſa Eccleſia turpiſſimi ac fœdiſſimi in fide erroris ex ſcripturis condemnauerat, eos ille Chriſtiano nomine dignos non eſſe pronunciauit. Ineptè verò legem Chriſti ad id comprobandum adducit, vetantem fratri dicere, *Fatue*. Etenim lex ea contumelias ex ira odioque profectas prohibet, non verò iuſtas in homines impios atq; peruerſos animaduerſiones. Certè hæreticos homines D. Ioannes & pſeudoapoſtolos, & mendaces, & Antichriſtos, & eos qui ex Deo non ſint, appellare non veretur. Quin & Chriſtus ipſe, Phariſæos illos cæcos, fures, latrones, denique ex Patre diabolo natos, vocare non dubitat.

Hæreticorũ epitheta in ſcriptura.

Cùm verò ait, pro Arianis vniuerſum Chriſtianum orbem opponi poſſe Conſtantino & Athanaſio, quod Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ſcriptum reliquerit: *ingemuit orbis, & ſe Arianũ eſſe miratus eſt* quippe cùm maxima tunc orbis Chriſtiani pars ad Arianiſmũ deflexiſſet; cōtra hæc à nobis oſtenſum eſt, cùm Conſtantinũ & Athanaſium opponeremus Arianis, totum orbem Chriſtianum ipſis oppoſitum fuiſſe. Cùm verò Moſcorouius nobis rurſum opponit, orbem totum Arianum, non animaduertit homo hæreticus, nō id aſſerere Hieronymum, quòd totus orbis verè Arianus fuerit, ſed quòd Patres illi Concilij Ariminenſis, cùm Arianorum errorem penitus excluſiſſe & condemnaſſe ſe exiſtimarent, admiſſa tamen Valentis Fidei formula, quâ ille Filiũ Dei non eſſe creaturam ſimilem alijs creaturis aſſeruit, & omiſſa voce, *Conſubſtantialis*, rem eo deduxerunt, vt viſi eſſent Nicœnæ Fidei proditores & ad partes Arianas defeciſſe. ſiquidem Valens ita, ſuam ſentētiam in Concilio approbatam exponebat, vt filium Dei non abſolutè negaret eſſe crea-

Orbis totus nunquam fuit Arianus.

Explicatur [illegible] Hieronymi.

turam

ructam, ſed tantùm ſimilem alijs creaturis. idq; illa verba Hieronymi ſignificant: Dum enim dicit, ingemuiſſe orbem, oſtendit orbem in Ariana perfidia non fuiſſe: quorſum enim ingemiſceret, ſi Arianam fidem ſibi elegiſſet, ſed idcirco ingemuiſſe dicitur, quia ſub ſpecie Orthodoxæ fidei, contra omnem ſuam mentem obtrudi ſibi perfidiam Arianã videbat, quaſi in Concilio Ariminenſi approbatam; cùm tamen Patres illi nihil minus tunc, quàm Arianos errores approbare, aut Nicœnam fidem deſerere voluerint, vt ibidem ex Hieronymo conſtat. Similiter non dicit Hieronymus, orbem eſſe Arianum factum, ſed ſe Arianum eſſe, miratum eſſe: & proculdubio miratus non fuiſſet, ſi id contra mentem ipſius non fuiſſet, & ſi reuera Arianiſmum ſuſcepiſſet; ſed quòd propter fraudulentam verborum Concilij expoſitionem, ſe quodammodo in Arianam perfidiam lapſum videbat, cùm ea perfidia impoſita orbi doloſeq; obtruſa, non veró ab ipſo vnquam ſuſcepta eſſet. En igitur Moſcorouí habes, vnde exultes atque glorieris inaniter, iactando totum orbẽ Arianum fuiſſe: cùm potius ex eo contrarium doceatur, nempe contra omnem mentem ac voluntatem totius Orbis Chriſtiani, Arianiſmum per dolum Valentis, toti orbi obtruſum fuiſſe, quaſi à Concilio Ariminenſi approbatum. ſed de hac re præclare Baronius in Anno Chriſti 359.

Deniq; ait Moſcorouius, ſe ſuoſq; Arianos non eſſe; ſicut neq; nos, eſſe illos veteres; & tandem nos amplius iuris in ipſos non habere, quàm pars aduerſa in aduerſam. Verùm fruſtra Moſcorouius detrectat Arianorum nomen; cùm id propter quod Ariani, præcipuè habiti ſunt Ariani, profiteri non dubitet. Id verò eſt, Chriſtum non eſſe conſubſtantialem Patri, ſeu eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Hoc enim & præcipuum dogma Arianorum fuiſſe, propter quod in Concilio Nicœno condemnati ſunt, & Ariani vocati ſunt, per ſe manifeſtum eſt. Etenim a præcipua parte fieri denominationem nemo præter Moſcorouium ignorat, qui hoc tanquam vitium, imperitè opponit mihi, quòd ab vno præcipuo dogmate Arianos eſſe appellatos aſſeram. Nam cùm ait Iudæorum quoq; præcipuum & eſſentiale dogma eſſe, Deum Iſraël, eſſe verum Deum, cœli & terræ conditorem: neq; tamen Chriſtianos dici poſſe, Iudæos, quod in eo dogmate cum Iudæis conueniant, non aduertit non ob illud

Moſcorouius iure Arianus appellandus.

Digitized by Google

dogma Iudæos eſſe dictos Iudæos, ſed ob peculiares ritus ac cæremonias, quibus à cæteris Dei veri cultoribus diſtinguebantur. Atqui Moſcorouius cum ſuis, illud Arianorū dogma ſequitur, propter quod præcipuè Ariani dicti ſunt Ariani: quocirca iure debet cum ſuis Arianus appellari. qui enim dogma ſectatur, nomen quoq; reijcere nullo modo debet. Nam quod ait Moſcorouius, præcipuum dogma Arij fuiſſe, Filium Dei eſſe factum ex non entibus; ex quo ſequitur, non eſſe conſubſtantialem Patri, in eo vehementer fallitur. Conſtat enim ad negandum Filium Dei, eſſe de Dei ſubſtantia genitum, quod Eccleſia tota tum credebat, inuentum eſſe ab Ario dogma illud, eſſe ex non entibus factum. Quare aut pro vno dogmate Arij cenſeri debet, Filium Dei non de ſubſtantia Patris genitum, ſed ex non entibus conditum eſſe; (vtrumq; enim ad vnum finem ſpectat, & negatio ſubſtantiæ Diuinæ, & aſſertio ſubſtantiæ creatæ: vtrumq; æquè in Concilio Nicæno condemnatum) aut certè illud prius principale cenſeri debet, cuius gratia eſt excogitatum poſterius.

Arij præcipuū dogma.

Neq; verum eſt, quòd ait, Arium negare id non potuiſſe, quòd nondum extiterat. Nam licet nomen ὁμωούσιος ſeu conſubſtantialis nondum extitiſſet, ſed à Concilij Nicæni Patribus tanquam maximè accommodatum ad hæreſim Arij opprimendam tunc inuentum fuerit; tamen res ipſa ſemper extitit, nec tunc inuenta eſt, ſed ſemper ab Eccleſia credita fuit. Et ſanè niſi vox, Conſubſtantialis, eam vim haberet ad Arij hæreſim extinguendam, nunquam ab Ario & Arianis tanta contentione aduerſus eam actum fuiſſet, neq; Orthodoxi in ea tantùm poſuiſſent, vt propterea ὁμωουσιανοὶ dicerentur, in eiuſq; vocis confeſſione ab Arianis diſcernerentur. Quod etiā in Concilio Ariminenſi patuit, in quo cùm ea vox concordiæ & pacis cauſa fuiſſet omiſſa, Fideiq; formula abſque ea admiſſa, tot fraudibus Arianorum ea formula mox patuit, vt ingentes turbas per Orbem Chriſtianum dederit, eaque propter Hieronymus ſcripſerit, ingemuiſſe orbem & ſe Arianum eſſe, miratum fuiſſe.

Moſcorouius Chriſtum negat re vera eſſe verū Deum.

Fruſtra verò queritur, falſò ſibi impingi, quòd Filium Dei, verū eſſe Deum neget. Fatemur enim, inquit, cùm talis Dei Filius ſit, eſſe Deum verum: licet non eſſe eundem Deum verum cum Patre. Cùm enim inquit, idem Dei Filius propterea Deus verus ſit, quod ſit verus Dei Filius: Pater autem non ſit propterea Deus verus, quòd ſit

Dei Filius, perſpicuum eſſe ait, non eſſe Filium eundem Deum verũ, qui Pater, neque conſubſtantialem Patri. Quis in his verbis fraudẽ & dolum Arianorum non deprehendat? An non eodem ſenſu Arius quoque Filium Dei eſſe verum Deum fatebatur, ſed non eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ? & tamen ſanctiſſimi Patres illi, & Chriſtianus orbis eam falſitatẽ ſibi obtrudi paſſus nõ eſt, vt quis verus Deus diceretur, qui ab vno vero Deo ſubſtantiâ & naturâ diuerſus eſſet. Cùm enim vnus ſit Deus verus ſecundùm ſcripturas, is qui ab eo diuerſus eſt, Deus verus dici non poteſt, niſi plures Dij veri credantur & admittantur. Deinde cùm Filius Dei ſecundùm Arianos ſola ſimilitudine accidentaria cum Deo vero, ſit Deus; quis non videt, eos fucum facere, dicendo, eum Deum verum, qui non naturâ, ſed ſimilitudine duntaxat accidentaria ſit & dicatur Deus. Similitudo enim ſine natura rem veram non facit, vti in primo de erroribus Arianorum libro fuſè à nobis demonſtratum eſt: & ſicut ſimilitudo in aliquibus proprietatibus cum auro vel homine, non facit eſſe verum aurum vel hominem verum: ita neque ſimilitudo in aliquibus proprietatibus Diuinis facere poteſt verum Deum.

Ex quo patet, verbis tantùm aſſerere Arianos Chriſtum eſſe verum Deum, re autem ipſa negare, cùm id vocent Deum verum, quod Deus dici nullo modo poteſt ſecundùm ſcripturas, & rationem, & communem omnium ſenſum.

Inepta Moſcorouij argumentatio.

Porrò illa ratio Moſcorouij quàm inepta! Filius Dei, inquit, idcirco eſt Deus verus, quia Filius: Pater verò, non idcirco quia Filius: ſi enim Filiationem eſſe Diuinitatem Filij intelligat, falſum docet. Sicut enim Filius hominis non filiatione & origine, formaliter eſt homo, ſed natura humana tali, qualis eſt in Patre: ita & Filius Dei non filiatione, & origine, ſed naturâ Diuinâ, qualis eſt in Patre, eſt, & dicitur Deus. Et ſicut ineptè quis ita argumentaretur, Abel, quia filius eſt hominis, eſt verus homo: ergo Adam, quia non eſt Filius vllius hominis, non erit verus homo: ita & iam ineptè Moſcorouius argumentatur, ſi Filius Dei, quia Filius eſt Dei, eſt verus Deus, Patrem, cùm non ſit ideò Deus, quia Filius, non fore verum Deum. Quod ſi Moſcorouius non ipſa filiatione velit Filium Dei conſtitui verum Deum, ſed tantùm originem intercedere ad hoc, vt filius ſit verè Deus, neceſſariò tunc id verum quidem eſt, ſed

ipſe nihil ad rem loquitur. Quòd enim Filius per originem à Patre habeat naturam Diuinam, Pater verò eandem habeat, non per originem à Filio, id minimè facit naturam vtriuſq; diuerſam. Omnes enim norunt, poſſe eſſe modos diuerſos, eandem naturam acquirendi & habendi: neque tamen modos illos variare rei eſſentiam. Sic ignis genitus ab igne non eſt diuerſæ naturæ ab eo, qui genitus eſt à Sole, vel per motum excitatus: quia nimirum diuerſi modi naturam habendi, non poſſunt variare ipſam rei eſſentiam & naturam.

Ex quibus patet nullam iniuriam Moſcorouio fieri, cùm Arianus à nobis dicitur: eſt enim dogmate, vti probauimus, Arianus: nec vnquam infame Arij nomen effugiet, niſi dogma abiecerit: maximè cùm Arij impietatem innumeris alijs, iiſque impiis ac blaſphemis erroribus ſuperauerit: ita vt quà cum Ario conſentit, reus Arianæ perfidiæ impietatiſque habendus ſit: quà verò ab Ario diſſentit, longè Ario deterior cenſeri meritò debeat. Neq; enim Arius tot blaſphemias in Chriſtum euomuit, vti Moſcorouius: Nam etſi eum eiuſdē cum Patre naturæ negauerit: non negauit ei tamen, eam, quæ ab æterno eſt, exiſtentiam; neque aliam ab humana diſtinctam naturam, neque rerum omnium & mundi creationem, quæ omnia negat impudenter effrons Moſcorouius contra ſcripturas manifeſtas. Nam cùm ait ſe ſecundùm ſcripturas credere Dei Filium conceptū de Spiritu S. & natum ex Maria Virgine: quàm ſtolidè ex eo infert, nullam ante conceptionem & natiuitatem ex Virgine habuiſſe exiſtentiam & naturam. Ex eo enim non poteſt aliud inferri, niſi quòd ſecundùm id, quod ex Virgine accepit, ante non extiterit, hoc eſt ſecundùm carnem: non verò quòd aliam naturam & exiſtentiam à carne diſtinctam ante non habuerit. cùm enim vna natura & exiſtentia aſſeritur, non illico aliam excludi prorſus neceſſe eſt, niſi aliunde id probetur.

Racouienſes Arianis veteribus deteriores.

Ariani gentiles & idololatræ.

Similiter iniuriâ queritur Moſcorouius, Arianos, gentiles & idololatras appellari, ſibiq; gentiliū crimē impingi, quòd creaturam pro Deo colendam doceant. Ait enim gentilium & idololatrarum eſſe, loco Dei veri creaturam colere, non verò vnà cum Deo vero: hoc verò modo ait, ſe Chriſtum, quem creaturam eſſe non diffitetur, colere, non quidem loco Dei, ſed vnà cum Deo propter ipſius mandatum & poteſtatem illi collatam. Verum ea ipſa Moſcorouij

defenſio,

defenſio, accuſatio Moſcorouij eſt, eumq; idololatriæ & gentiliſmi crimine non eximit, ſed fortiùs alligat atque conſtringit. Neq; enim is ſolùm idololatra vel gentilis eſt, qui excluſo Deo vero creaturam colit, ſed etiam qui Deum verum agnoſcens, debitum illi ſoli honorem creaturæ quoque communem facit. *Ego enim Iehoua*, ait Dominus, *hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*, Iſaiæ 42. 8. & *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, Mat: 4. quæ loca in primo de erroribus Arianorum libro à nobis ex profeſſo expenſa ſunt. Quamuis autem verum ſit, Dei voluntatem & mandatum eſſe, vt Chriſtus à nobis pro Deo colatur, id tamen mandare Deus minimè potuiſſet, niſi homo ille verus & natura Deus eſſet: imò ex eo quòd mandauit, neceſſe eſt veram & naturalem Diuinitatem ipſi ineſſe, ſine qua nemo Diuino honore affici poteſt. Cùm verò *omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem*, Ioan: 5. 22. ex pari honore vtriuſque, concluditur parem honoris rationem eſſe in vtroque, parem ad iudicandum poteſtatem, illam inquam Diuinam, & increatam, vti loco citato oſtenſum eſt.

Ariani ſubiecti iuri & iudicio Eccleſiæ.

Iam quod murmurat Moſcorouius, nos, cùm ſimus pars aduerſa, nihil iuris in Arianos habere, neque iudicis partes ſumere poſſe, vt quidquam in partem aduerſam decernamus; ea oratione quilibet, rebelles & ſeditioſi, aduerſus ſuum legitimum Magiſtratum vti poſſunt. Quis enim neſciat Chriſtum in Eccleſia ſua oues paſtoribus ſubieciſſe, eamque ipſis poteſtatem contuliſſe, quæ ad oues in officio continendas, earumq; proteruiam & contumaciam coërcendam neceſſaria eſt: ita vt non ſolùm eas ad ſibi obediendum præcepto compellere poſſint, ſed etiam pœnis temporalibus afficere & Sathanæ tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Ij igitur qui Ariũ hæreſis condemnarunt, Arianoſq; Chriſtiano nomine abiudicarunt, non pars aduerſa fuerunt, ſed Magiſtratus legitimus Paſtorum ex vniuerſo Chriſtiano orbe congregatorum: cui Magiſtratui etſi rebelles Ariani repugnent, iure tamen & inſtitutione Diuina, velint nolint ſubiici debent: *omnem enim animam ſublimioribus poteſtatibus ſubiici debere, idq; propter conſcientiam*, Paulus præcipit. Porrò ſicut Arianorũ veterum legitimi iudices Epiſcopi tunc fuerunt: ita Epiſcoporum illorum in fide & poteſtate ſucceſſores, nunc quoq; legitimi iudices nouorum Arianorum cenſendi ſunt, quantumuis ſe ab eorum pote-

ſtate per

ſtate per vim auferant. Cùm verò communis Domini tabulas proferri petit Moſcorouius, aſtutè fingit ſe ignorare, quid Dominus Matth: 18. contra eos ſanxerit, qui Eccleſiam non audierit: quamq; amplam poteſtatem ligandi & ſoluendi Eccleſiæ eo fine conceſſerit, qua Eccleſia omnibus anteactis ſeculis vſa eſt aduerſus hæreticos. Quamuis enim ad fidem, quam nondum ſuſcepit, compelli nemo poſſit, cùm nolentibus eam recipere non aliam Deus pœnam propoſuerit, quàm condemnationem, *Qui non crediderit, condemnabitur*: tamen poſtquam quis fidem recepit, ab eaq; apoſtatauit, is tanquam fidei datæ violator, omni iure puniendus eſt; quippe qui non ſolùm contra Deum, ſed etiam contra Eccleſiam peccauit. Quod etiam militis exemplo declaratur. Etenim etſi ei liberum abſolutè ſit militiæ ſe tradere: tamen poſteaquam ſe ſacramento militari obſtrinxit, punitur, vt transfuga & proditor, ſi ſe à militia ſubtrahat. Tales porrò ſunt omnes hæretici, qui poſtquam fidem ſuam per Baptiſmum Chriſto & Eccleſiæ obſtrinxerunt, mutato conſilio, eam temerè ac turpiter deſerunt.

Qui ad fidē compelli debent.

Trium perſonarum vnam eſſentiam rectè colligi ex 1. Ioan: 5, *aduerſus Moſcorouium oſtenditur. Cap: IX.*

ASſerit Moſcorouius ex illo loco 1. Ioan: 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt,* non poſſe colligi, vnam eſſe trium perſonarum eſſentiam. At nos colligi hoc argumento oſtendimus. Etenim hi tres dicuntur à Ioanne teſtes in cœlo, hoc eſt teſtes Diuini; non enim dicuntur, teſtes in cœlo, quòd in cœlo teſtimonium perhibeant: ſic enim non tres, ſed plures alij ſunt teſtes in cœlo, nempe Angeli, qui teſtimonium Chriſto non ſemel perhibuerunt. Sed ideò dicuntur teſtes in cœlo, quòd cœleſtes & Diuini teſtes ſint: ita vt hoc modo loquendi qualitas teſtium & teſtimonij indicetur: quomodo Angeli non poſſunt dici teſtes in cœlo: quia non ſunt Diuini teſtes, nec eorum teſtimonium eſt Diuinum. Quocirca etiam conſequētibus verbis, teſtium in cœlo teſtimonium, appellat Ioannes teſtimonium Dei: *Si teſtimonium*, inquit, *hominum accipimus: teſtimonium Dei maius eſt,* exponens, teſtimonium in cœlo, eſſe teſtimonium Dei. Hic Moſcorouius opponit, etiam

Teſtes in cœlo ſunt Diuini quoad naturam.

etiam Euangelij vocem, & miracula Diuina, Dei teſtes eſſe, & teſtimonium perhibere. At vim argumenti noſtri non ſatis eſt aſſecutus. Nos enim teſtes illos tres, non quacunque ratione dicimus eſſe Diuinos, ſed natura & eſſentia. Nam ſi de participata Diuinitate res eſſet, non tres, ſed multò plures eſſent in cœlo teſtes Diuini: cùm etiam Angeli, Diuini ea ratione dici poſſint ob Diuinitatem participatam. Imò & tres teſtes in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis, eſſent hoc ſenſu teſtes Diuini; quia diuinitùs habent vim teſtificandi. Non igitur per teſtes in cœlo, intelligit Ioannes teſtes quocunq; modo Diuinos, ſed verè, id eſt naturâ Diuinos. Hoc autem admiſſo, cùm natura Diuina ſit vna numero, teſtes verò tres; conſequens eſt, vnam eſſe trium perſonarum naturam & eſſentiam.

Verùm inſtat iterum Moſcorouius, illa verba, *teſtimonium Dei maius eſt*, etiam de his qui teſtantur in terra, accipienda eſſe: quos tamen conſtat non eſſe teſtes Diuinos naturâ. At neque hæc inſtantia ſoluit difficultatem. Nam inprimis aſſumit falſum, teſtimonium Dei, vocari teſtimonium teſtium trium in terra. mox enim addit Ioannes: *Hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Deus autem dans teſtimonium de Filio ſuo, eſt teſtis in cœlo: ſed eſto; vtriſque teſtibus ea verba accommodentur: adhuc tamen tres teſtes in cœlo, ideò dicuntur eſſe in cœlo, quia ſunt teſtes Diuini, non participatione Diuinitatis, ſed naturâ, vt deductum eſt, & opponuntur tribus teſtibus in terra: qui etſi ſuo modo poſſint dici Diuini teſtes; quia ad Deum referuntur; non ſunt tamen ita Diuini, vti teſtes in cœlo: quia non ſunt Diuini naturà. Etenim, quia cœlum ſedes Dei eſt, ſecundùm ſcripturas, ideo per cœlum, tanquam ſedem ſuam propriam, Deus, quoad naturam ſuam deſignari ſolet: *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, Pſal: 2. 4. id eſt, Deus irridebit eos: quamuis enim in cœlo habitent etiam Angeli; tamen per antonomaſiam, Deus eſt is, qui dicitur habitare in cælis: ſic & Chriſtus Patrem ſuum deſignans, ait, *qui eſt in cœlis.* Sic de cælo, dicuntur aliqua eſſe, quia à Deo ſunt: vt cùm Chriſtus quæreret de Baptiſmo Ioannis, vtrum de cælo eſſet, an ab hominibus. Hoc igitur modo & hoc in loco, teſtes in cælo, dicuntur teſtes Diuini, qui Diuinam naturam habeant: alioqui ſi aliter Diuini intelligantur, nullo modo ſaluari poterit, tres tantùm eſſe teſtes in cœlo.

Digitized by Google

Vnitas natura colligitur Iam verò quod addit Ioannes, *Et hi tres vnum ſunt*, exponit Moſcorouius, non de vnitate naturæ, ſed de vnitate teſtimonij, vt quia vnum teſtantur, dicantur eſſe vnum. Nec enim inſuetum eſſe ait, ſacris litteris, eos dicere vnum, quorũ eſt diuerſa natura. Plantans & rigans dicuntur eſſe vnum 1. Cor: 3. 8. Credentes quoque dicuntur in Chriſto eſſe vnum. Gal: 3. 10. Ex quo tamẽ vnitas naturæ colligi non poteſt. Verùm nos dicimus non ex modo loquendi abſolutè, ſed ex ſubiecta materia nos colligere, ſermonem eſſe hoc loco de vnitate naturæ: ſicut enim ſunt diuerſæ vnitates; ita ad vnitates diuerſas ſignificandas, poteſt idem loquẽdi modus accommodari, prout ſubiecta materia requirit. Porrò hoc loco ſubiecta materia requirit, vt de vnitate naturæ accipiatur. Dicuntur enim hi tres teſtes in cœlo, id eſt Diuini prorſus quoad naturam, quæ cùm ſit vna numero, neceſſe eſt hos tres non quomodocunq; vnum eſſe, ſed naturâ, & propter vnitatem naturæ vnum quoque teſtari; imò idcirco vnum teſtari, quia naturâ vnum ſunt: quorum enim vna natura eſt, vna quoque eſt ſcientia, & vna teſtificatio. Quocirca non eo ſenſu hos tres dixit Ioannes eſſe vnum, quo ij dicuntur vnum, qui cùm ſint naturâ diuerſi, in vnum teſtimonium conſpirant & cõſentiunt; hoc enim in teſtes illos naturâ Diuinos cadere non poteſt; ſed ſicut ij, qui cùm naturâ vnum ſint, non poſſunt non eſſe vnum & teſtimonio: ita vt etiamſi de vnitate teſtimonij verba Ioannis accipiantur, vnitatem tamen naturæ includant; & de ea teſtimonij vnitate, quæ ex vnitate naturæ proficiſcitur, intelligenda ſint.

Adducit pro ſe Moſcorouius codicem Hiſpanienſem, quo vſus eſt Arias Montanus, in quo legitur, *& hi tres in vnum ſunt* At quid vnius codicis auctoritas cõtra cæterorum omnium fidem valere poteſt? Hac enim ratione de ipſis Euangeliis, eorumque multis partibus dubitare liceret: eò quòd à nonnullis de iis dubitatum ſit. Neque verò etiamſi ea lectio admittatur, communi & vſu Eccleſiæ receptæ lectioni præiudicat: ſiquidem vtraque in idem recidit Modus enim Hebraicus id fert, vt cùm dicimus, eſto mihi in Deum protectorem, idem eſt, ac eſto mihi Deus protector. &, erit mihi in populũ, id eſt erit mihi populus: quare & hoc loco, idem eſt, eſſe in vnũ & eſſe vnum. Porrò hæc vnitas teſtium ſecundùm naturam Diuinam plurimùm faciebat ad auctoritatem teſtimonio illorum conci-

liandam

liandam, nempe quòd eorum auctoritas, eſſet auctoritas ſumma, nempe ipſius Dei veri.

Cùm verò inſtat Moſcorouius, etiam de tribus teſtibus in terra, hoc eſt de ſpiritu, aqua & ſanguine idem dici, *& hi tres vnum ſunt*, neque tamen eorum vnitas naturæ indicatur, inprimis aio lectionem illam eſſe dubiam, cùm & in plurimis exemplaribus non habeatur, & in quibus habetur, varia eſt. Nam in Græcis legitur; *Et hi tres in vnum ſunt*; in nonnullis verò Latinis: *& hi tres vnum ſunt*: ex lectione ergo tam dubia, non poteſt firmum contra nos argumentum colligi, maximè cùm aduerſarii Græcum textum Latino præferant, & in Græco habeatur, *in vnum*. Deinde ſi per tres teſtes in terra intelligamus, ſpiritum, quem Chriſtus in cruce emiſit; aquam & ſanguinem, quem ex latere aperto effudit, ita vt hæc tria teſtimonia fuerint veræ humanæ naturæ in Chriſto, ſicut Patris, Verbi, & Spiritus ſancti fuerunt teſtimonia Diuinitatis in Chriſto, tunc ſecundùm hanc expoſitionem dicere poſſumus, tres hos teſtes in terra eſſe vnum naturà; quia vnam naturam Chriſti conſtituunt, & veram Chriſti naturam teſtantur. Si verò per hos tres teſtes intelligamus aquam Baptiſmi & ſanguinem redemptionis, & ſpiritum mentibus fidelium à Chriſto impreſſum: (Venit enim Filius Dei, non in aqua ſolùm, vt Ioannes; ſed in aqua & ſanguine, vt ibidem dicitur à Ioanne, & eo fine, vt ſpiritum hominibus daret, quæ ſunt in terris Chriſti Diuinitatis teſtimonia; nam & ex eo, quòd in nomine ipſius baptiſamur in remiſſionem peccatorum, verus Deus eſſe demonſtratur, & quòd nos ſanguine ſuo redemit, & Spiritu ſancto donauit. hæc enim humanam facultatem excedunt:) tunc ſecundùm hanc expoſitionem poſſumus interpretari hos tres eſſe vnum, non ob vnitatem naturæ, ſed quia vnam rem teſtantur. Verùm eam interpretationem ſubiecta materia expoſcit, cùm de rebus diuerſarum naturarum ſit ſermo, quod de tribus teſtibus in cælo dici non poteſt. Opponit verò Moſcorouius, etiam illa verba: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*, dubia eſſe: cùm in pleriſque exemplaribus Græcis, & in Syra editione non habeantur; à pleriſque etiam Patribus in citatione omittantur, vt à Cyrillo 12. Theſauri capite penultimo, Auguſtino 3. contra Maximinum c. 22. Nazianzeno Or: 5. Theol. Athanaſio, Didymo, Chryſoſtomo, Hilario, Beda.

Teſtes in terra qui intelliguntur.

Digitized by Google

Verùm inprimis falſò citat Athanaſiũ, cùm is hoc loco vtatur. Deinde vti verè ab Hieronymo ſcriptum eſt, ab infidelibus tranſlatoribus ea verba olim omiſſa fuiſſe: ita conſtat multò ante ab antiquitate fuiſſe recepta, vt ab Higino epiſtola 1. Cypriano libro de vnitate Eccleſiæ. Athanaſio in lib: 1. ad Theophilum de vnica Deitate Trinitatis. Idacio in lib: aduerſus Varimadũ, & quod caput eſt, Eccleſiæ Catholicæ vſu comprobata. Porrò ſicut alias canonicas ſcripturas non niſi ab Eccleſia accepimus: ita neq; de huius teſtimonij auctoritate dubitare debemus.

APPENDIX

In qua oſtenditur Moſcorouium probare minimè potuiſſe, Chriſto Diuinitatem donatam eſſe.

AD finem ſuæ Refutationis vindicare ſe voluit Moſcorouius ab ijs, quæ in monſtris Arianiſmi contra errorem ipſius oppoſueram, quo aſſerebat donatam fuiſſe Chriſto Diuinitatem. Et quidem ante omnia aſſerit, nuſquam à ſe dictum eſſe, in loco aliquo ſcripturæ dici expreſſè donatam Chriſto Diuinitatem, ſed ſolùm id ex locis Philip: 2. Matth: 28. & alijs neceſſariò colligi. Libenter hoc à Moſcorouio audimus. Itaq; rationes, quibus id ex ſcriptura colligit, videamus, atq; ſingulas expendamus.

Nomen ſuper omne nomen quid?

Quod ad locum Philiph: 2. attinet, in eo dicitur, donatum eſſe nomen ſuper omne nomen. Ex quo ſic argumentatur Moſcorouius: Si donatum, inquit, eſt Chriſto nomen ſuper omne nomen, in eum finem, vt Chriſtus Diuino cultu ab omnibus afficeretur; hinc neceſſariò efficitur, donatam Chriſto Diuinitatem. Quam conſecutionem ego non ſolùm non neceſſariam, ſed prorſus ineptam eſſe affirmo. Ex donata enim nominis celebritate, non rectè concluditur res ipſa donata, vt per ſe manifeſtum eſt: poteſt enim res eſſe, ſine vlla nominis celebritate, & poteſt nominis celebritas accedere rei, quæ ante exiſtebat, ſed occulta & incognita mundo. Cùm igitur hoc loco Paulus nihil aliud donatum Chriſto dicat, niſi nominis ipſius celebritatem, nempe vt is, qui propter paſſionem & mortem humi-

humiliatus, & à mundo non agnitus nec adoratus fuit, poſt Reſurrectionem eius, in toto mundo eſſet ita celebris, *vt in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei Patris*; ſequitur ex hoc loco concludi non poſſe donatam Chriſto Diuinitatem.

Donatam verò eſſe Chriſto ſolam nominis celebritatem, & Paulus hoc loco docet, & ratione euidenti concludit. Explicans enim quomodo Chriſto ſit donatum nomen ſupra omne nomen, ſolius celebritatis meminit: *Vt,* inquit, *in nomine* IESV *omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur.* Cultus enim & veneratio publicaque profeſſio nominis Chriſti, quid eſt aliud, quàm nominis celebritas, eaq; celebritas opponitur illi humiliationi vſque ad mortem crucis ignominia plenam. Id quod etiam ratione concluditur. Non enim eo ſenſu Paulus dixit donatum eſſe Chriſto nomen ſupra omne nomen, quaſi Chriſti nomen non fuerit ante tota vita, nomen ſupra omne nomen. Erat enim tam ante humiliationem, quàm ante exaltationem Chriſtus in forma Dei æqualis Deo, teſte Paulo. Is porrò, qui in forma Dei æqualis Deo eſt, habet nomen ſuper omne nomen: quia eſt æqualis altiſſimo, & tantus quantus ipſe Deus. Adhæc per ſe manifeſtum eſt, nunquam in mundo maius aliquid fuiſſe, ipſo Chriſti nomine: Nulli enim hominum aut Angelorum contigit eſſe æqualē Deo & in forma Dei; & tam præſtanti ratione eſſe Deum, & Filiū Dei, quàm Chriſtus tota vita ſua fuit Deus & Filius Dei. Cùm igitur negari nullo modo poſſit, Chriſtum ante habuiſſe nomen ſuper omne nomen, ratione cuius digniſſimus erat omni honore & cultu; neceſſario fatendum eſt, non hoc illi poſt reſurrectionem donatum eſſe, quod ante ſemper habuit, ſed ſolùm nominis celebritatem in toto mundo: vt nomen IESV, quod in ſeipſo ſemper erat ſuper omne nomen, eſſet quoque in toto mundo ſuper omne nomen, ab omnibus adoratum & celebratum: vti luculenter in ſecundo de erroribus Arianorum libro cap: 8. contra Smalcium probauimus.

Chriſtus habuit nomen ſuper omne nomen ante mortem.

Obiicit Moſcorouius, cùm nomen ſuper omne nomen in obedientiæ præmium Chriſto donatum ſit, conſequens eſſe, ante obedientiæ conſummationem, illud Chriſtum non habuiſſe. Nam ſi habuit, nullo modo illi propter obedientiam donari potuit. Sed ineptit Moſcorouius. Nos enim fatemur id eſſe Chriſto donatum pro-

Obiectiones Moſcorouij inanes.

Digitized by Google

pter obedientiam, quod ante non habuit. Porrò celebritatem nominis in cœlo & in terra non habuit; Hæc igitur illi donata eſſe dicitur à Paulo. Inde verò non efficitur illud nomen, ſuper omne nomẽ, Chriſtum ante non habuiſſe abſolutè, ſed ſolùm cum illa celebritate non habuiſſe. Non enim ſi quis nominis celebritate caret, ideo nomine ipſo carere cenſendus eſt.

Iam verò cùm ait, eſſe in forma Dei æqualem Deo, non eſſe nomen ſupra omne nomen ab omnibus cœleſtibus, terrenis, & infernis naturis adorandum habere, in eadẽ æquiuocatione verſatur. Aliud enim eſt habere nomen dignum, vt ab omnibus adoretur: aliud re ipſa ab omnibus adorari. Ex hoc igitur, quòd Chriſtus ante mortẽ fuit in forma Dei, æqualis Deo, ſequitur talem ac tantum fuiſſe, vt eius nomen fuerit digniſſimum ſummo honore & adoratione: licet ea adoratio non fuerit illi tunc præſtita: poſt mortem verò in toto mundo effectum eſt, vt re ipſa adoraretur ab omnibus cœleſtibus, terrenis, & infernis naturis: hocq; illi in præmium obedientiæ donatum eſt. Sed pergit nugari Moſcorouius.

Humiliatio Chriſti.

Humiliatio, inquit, in Deum non cadit: ſiquidem eo ipſo altiſſimus eſſe deſineret: At non intelligit pro ſuo acumine Moſcorouius, quid ſit humiliari. Id enim non eſt dignitatem ipſam amittere, & indignum effici, cui cultus & honor deferatur, ſed eſt, dignitate ſua retenta non pro dignitate tractari, ad eamque tractationem ſponte ſe ſubmittere, ad eum modum, quo Rex ſua poteſtate & dignitate Regia non amiſſa, ſi à rebellibus ſubditis, indignis modis tractetur, re ipſa honore ſibi debito caret: quo tamen non deſinit eſſe digniſſimus: & qui de iure eſt Dominus ſubditorum ſuorũ, ab ipſis tamen non vt Dominus tractatur. Hoc igitur modo Filium Dei humiliatum eſſe dixit Paulus, quia *cùm in forma Dei eſſet æqualis Deo, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & ſe humiliauit factus obediens vſq; ad mortem.* Phil: 2.

Exaltatio Chriſti.

Addit: ſi Chriſtus fuit Deus altiſſimus, quid opus erat, vt Deus efficeret, quo honor & gloria eidem à cœleſtibus præſertim naturis & Angelis præſtaretur? Verùm ſicut in natura humana ſe humiliauit ex obedientia & mandato Patris: ita opus erat, vt à Patre in compenſationem tantæ obedientiæ, acciperet, vt ab omnibus etiam cœleſtibus naturis ſibi cultus & honor altiſſimo debitus exhibere-

tur.

Digitized by Google

tur. Nam & ille homo tantoperè humiliatus, ſimul erat Deus ille altiſſimus, ideoque honore altiſſimi digniſſimus. Et cùm ex obedientia Patris ſe humiliauerit, debuit viciſſim à Patre effici, vt ei honor ille ab omnibus deferatur. Sicut enim ſua obedientia Patrem clarificauerat in terris; ita voluit à Patre viciſſim clarificari in cœlis, Ioan: 17. 4. Quanquam cùm vna ſit Patris & Filij poteſtas, & quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit, Ioan: 5. dubium non eſt, Chriſtum ſua Diuina poteſtate vnà cum Patre effeciſſe, vt is honor ſibi ab omnibus impenderetur.

At ſi Chriſtus, inquit Moſcorouius, fuit antea altiſſimus in ſe ipſo, exaltari nulla ratione propriè potuit. Sed ecce rurſus non intelligit, quid ſit exaltari, & in quo ratio exaltationis ſit poſita. Non enim dicimus Filium Dei exaltatum in ſeipſo, vt maior ſeipſo fuerit factus. Semper enim erat in forma Dei æqualis Deo: & quia æqualis Deo, ideo altiſſimus: altiſſimo enim æqualis eſſe nequit, niſi altiſſimus; ſed aſſerimus cum Paulo exaltatum eſſe à crucis ignominia, ad eam nominis celebritatem, vt in eius nomine omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flectatur, quod non eſt fieri ſeipſo maiorem, ſed in mundo apud omnes celeberrimum: quo etiam modo in ſcripturis ſæpè poſtulatur exaltatio Diuina, *Exaltare Domine in virtute tua.* Neq; propter exaltationem talem, Deus eſſe altiſſimus ante deſierat, ſed pro altiſſimo haberi & adorari ab omnib⁹ cœpit.

Tandem ait, ex forma Dei & æqualitate cum Deo colligi non poſſe, Chriſtum fuiſſe altiſſimum: cùm is qui in forma Dei ſit, referatur ad Deũ, cuius formam circũtulerit: & is qui eſt æqualis Deo, Deum, cui æqualis ſit, præſupponat. Nos contra dicimus; ſi ea forma, veri Dei forma fuit, Chriſtus in forma Dei exiſtens, non qualiſcunq; Dei, ſed veri Dei formam habebat, ac proinde verus Deus erat. Neq; enim in forma Dei eſſe, eſt Diuinam poteſtatem quocunque modo ſibi communicatam habere: alioqui Apoſtoli quoque in forma Dei fuiſſent, qui poteſtatem miniſterialem miracula faciendi Diuinitùs habebant: Sed eſt, poteſtatẽ Diuinam, eo modo quo Deus habet: habere, hoc eſt abſolutam, propriam ſibi atque naturalem. *Forma Dei quid?* Vnde cùm Moſcorouius ait, eum qui in forma Dei ſit, referri ad Deum, cuius formam in ſe habet: ſi intelligat referri tanquam ad aliam perſonam verum eſt: ſi tanquam ad alium Deum, falſum: ma-

nente

Digitized by Google

nente enim vnitate naturæ, referri poteſt Filius ad Patrem tanquam is, qui eandem Dei formam, qua Pater eſt præditus, habeat: vt pote qui à Patre, Patris ipſius naturam generatione acceperit. Similiter dicimus, ſi Chriſtus ſit æqualis Deo, non infra Deum, nec quid minus Deo erit, ſed idem quod Deus. Par enim altiſſimo eſſe nonniſi altiſſimus poteſt. Cùm verò ſubdit Moſcorouius eum, qui æqualis Deo eſt, præſupponere Deum, cui æqualis ſit. Si ita præſupponere velit, vt detur is Deus, cui Chriſtus æqualis eſſe dicatur, id veriſſimum eſt. Is enim Deus, cui Chriſtus æqualis dicitur, eſt Pater. At ſi diſtinctum Deum præſupponi velit, toto cælo errat. Nam etiamſi vnam eandemque naturam habeat quam Pater, erit proculdubio æqualis Patri: Siquidem habebit tantam perfectionem Diuinam, quantam Pater. Quod ad rationem æqualitatis ſufficere exemplo quantitatis oſtendimus: Si enim duo corpora vnam ac eandem quantitatem haberent (quod virtute Diuina fieri poteſt) verè eſſent & dicerentur æqualia: quia tanta eſſet vnius, quanta alterius quantitas. Quocirca nec ad æqualitatem Chriſti cum Deo requiritur, vt diſtincta ſit vtriuſque Diuinitas: ex quo patet quàm ineptè concludat Moſcorouius: ſi Chriſtus ſit æqualis Deo, Deum, cui æqualis eſſe dicitur, eſſe diſtinctum ab ipſo Deum, cùm eadem Diuina natura in vtroq; manente, ſeruetur vtriuſq; æqualitas; maximè cùm niſi Diuina natura ſit vna in vtroq;, Filius dici non poſſit æqualis Patri. Nam neq; ratione naturæ inæqualis, dici poteſt Filius æqualis Patri; neq; diuerſam naturam æqualem Patri habere poteſt, cùm Diuina natura non ſit niſi vna.

Æqualitas cum Deo.

Secundo loco probat Moſcorouius, donatam Chriſto Diuinitatem ex donata Chriſto poteſtate Diuinà, de qua Math: 28. dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* &c. 1. Cor: 15. 27. *Omnia ſubiecta ſunt ei, præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Verùm ſi Moſcorouius de poteſtate creata, quæ Chriſto homini conceſſa eſt, & in humana eius natura reſidet, loquatur, nullo modo admitti poteſt, eiuſmodi poteſtate Diuinitatem Chriſti contineri, neque propter talem poteſtatem Chriſtum pro Deo adorari poſſe. Primùm, quòd talis poteſtas eſt poteſtas creata. Fieri autem non poteſt, vt propter aliquam perfectionem creatam, pro Deo vero coli quiſpiam poſſit. hoc enim eſſet creaturam pro Deo vero colere, & ſine natura Diuina, Deum verum

Poteſtas creata Chriſti non facit verum Deum.

verum agnoſcere, atque adeò ſimilitudinem cum Deo accidẽtariam cum ipſa eius eſſentia confundere. Deinde talis poteſtas eſt omni ratione dependens à Deo & ei ſubiecta; propter poteſtatem autem dependentem ab alio, non poteſt quis pro Deo coli; ſiquidem poteſtas Dei, nõ eſt miniſterialis & inſtrumẽtaria, ſed principalis & ſumma, ſeu poteſtas primi principij, Rom; 11.36. *Quoniã enim ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloriã in ſecula* Eſſe verò poteſtatem Chriſto, vt homini, conceſſam, omni ratione à Deo dependentem, manifeſtius eſt quàm vt probari debeat. Nam & quoad eſſentiam ſuam dependet à Deo tota: ſicut & omnes aliæ res creatæ: ſiquidem à Deo tam in fieri, quàm in conſeruari dependet; poteſtq; ad libitum à Deo auferri & deſtrui, ſi Deus tota ſua poteſtate vti velit, Dependet etiam in omni ſuo vſu, cùm quia Dei concurſu & influxu continuo opus habet: ſiquidem omnes cauſæ ſecundæ egent cõcurſu cauſæ primæ: tum quia à Deo ad nutum impediri poteſt: tum quia in eo vſu Chriſtus à Deo totus ſubordinatus & ſubiectus: quod vel ex eo patet, quòd in cœlo vbi poteſtatem hanc ſuam, ratione cuius eſt ſummus Pontifex, exercet, accedit ad Deum, & interpellat pro nobis: vti ſacræ literæ non ſemel teſtantur; quod euidens argumentum eſt in eius poteſtatis vſu dependere à Deo, eique ſubiectum eſſe. Accedit quòd poteſtas abſq; natura Diuina Deum non conſtituit; neq; omnino vlla res abſq; ſua natura, dici verè talis poteſt: quantacunq; igitur ſtatuatur in Chriſto homine poteſtas diuinitus ei conceſſa, ſi ſit à natura Diuina ſeparata, conferre Chriſto Diuinitatem talem minimè poterit, propter quam is pro Deo vero coli poſſit & adorari. Præterea poteſtas, quæ eſt longè minor poteſtate Diuina, Deum verum non conſtituit, vti & ipſi aduerſarij non ſemel fatentur, cùm aiunt Chriſtum non propter poteſtatem quamcunq; pro Deo coli, ſed ſolùm propter talem ac tantam, quæ ſit par poteſtati Dei ipſius. Et ſanè meritò. Non enim idem honor ſummæ poteſtati & inferiori debetur. Si igitur Diuinæ ſũmæ poteſtati, Diuinus honor debeatur, non illicò ſequitur longè minori & inferiori poteſtati eundẽ Diuinum honorem deberi, ſed eum qui Diuino inferior eſt. Cùm igitur certiſſimum ſit, omnem eam Chriſti poteſtatem, quæ in humana eius natura reſidet, longè minorem eſſe poteſtate, quæ in Deo eſt, conſequitur neceſſariò talem poteſtatem, nec Deum verum conſtituere, neq; eſſe

Poteſtas creata Chriſti dependet à Dei poteſtate.

Eſt minor poteſtate Diuina.

[illegible] cauſam. Porrò eſſe hanc Chriſti poteſtatem
longè minorem & inferiorem poteſtate, quæ in Deo eſt, nimis per-
ſpicuum eſt. Nam & in ratione poteſtatis, eſt longè minor, cùm ea,
quæ in Deo eſt, omnem prorſus poteſtatem comprehendat, tam
ad creandum, quàm ad conſeruandum, & quiduis de rebus facien-
dum; qualem poteſtatem iſti Chriſto non concedunt, ſed eam po-
teſtate ſaluandi definiunt. Eſt etiam minor propter dependenti-
am, tum in eſſentia, cum in omni ſuo vſu, vti dictum eſt. Ea verò,
quæ in Deo eſt poteſtas, vtroque modo eſt independens. Denique
cùm data ad nutum & auferri à Deo poſſit, multò inferior eſt ea po-
teſtate, quæ Deo eſt innata, quæque mutationi ſubiacet nulli. Quæ o-
mnia cum primo libro de erroribuss Arianorum c. 10. & 2. lib: c. 1.
fuſè perſecuti ſimus cõtra Smalciũ, hîc ſatis erit rem obiter indicaſſe.

Cùm igitur ait Moſcorouius, poteſtatem cui omnia præter De-
um ſunt ſubiecta, eſſe prorſus Diuinam, ſecum ipſe pugnare vide-
tur. Nam cùm hæc poteſtas, ſit ei, quæ in Deo eſt, poteſtati ſubiecta,
eaque inferior, dici non poteſt prorſus Diuina, hoc eſt talis ac tanta,
qualis & quanta in Deo eſt. Poteſtas enim quæ in Deo eſt, eſt pote-
ſtas primi principij, & nulli ſubiecta. Poteſtas verò, quam iſti in
Chriſto, quà homo eſt, ſtatuunt, non eſt poteſtas primi principij, ſed
ſecundi, atque adeò eſt poteſtas inſtrumentalis & miniſterialis, Dei
poteſtati ſubiecta atque ſubordinata.

Neque verò refert, quòd Deus omnia, præter ſe, ſubiecisse Chri-
ſto dicatur; id enim verificari poteſt, etiamſi Chriſto tanquam ſuo
generali Miniſtro, & omniũ rerum, loco ſuo adminiſtratori, omnia
ſubiecerit; ſicut & Rex poteſt omnem ſuam poteſtatem ſuo Proregi
conferre in omnes ſuos ſubditos, ſe excepto, ſua nihilominus iuriſ-
dictione ſalua. Etenim ſi Rex alicui conferat poteſtatem in omnes
ſuos ſubditos, & in totum ſuum Regnum: ita tamẽ vt ſibi ſummam
poteſtatem & iuriſdictionem reſeruet, tam in eum cui poteſtatem
contulit, quàm in totum Regnum; dubio procul poteſtas ea collata
non erit ſumma, ſed ſubiecta ſummæ poteſtati, neque faciet Regem
ſed Proregem; non abſolutum Dominum, ſed Miniſtrum & Vica-
rium eius generalem.

Faciunt Chriſtum generalem duntaxat Vicarium.

Ex quo manifeſtum eſt, ſi poteſtas Chriſti ſtatuatur poteſtati
Dei ſubiecta & ſubordinata, nullo modo Chriſtum eius reſpectu di-
ci poſſe Deum verum, ſed Dei veri Miniſtrum. Poteſtas enim ſubie-

Et Dei miniſtrum.

cta ſuperiori poteſtati, non eſt poteſtas ſupremi Domini, ſed Miniſtri. Eſſe autem Deum, eſt, eſſe cum ſumma in omnia poteſtate. Itaque cùm ait Moſcorouius, quemadmodum is, qui Regiam poteſtatē conſecutus eſt, Rex prorſus eſt; ita Chriſtus, cui Diuina poteſtas, eaq; abſoluta, in ea, quæ ipſi ſubiecta ſunt, contigit, ob hanc Diuinam poteſtatem & imperium, Deus ſit neceſſe eſt. Reſpondendum eſt, quòd quemadmodum is Regiam poteſtatem non conſequitur, qui habet quidem poteſtatem in Regnum; verùm non ſummam, ſed ſummæ poteſtati ſubiectam ac ſubordinatam; Regia enim poteſtas, ſumma vt ſit neceſſe eſt: ita cùm Moſcorouius Chriſto tribuit poteſtatem Diuinam in omnia, verùm non ſummam, ſed poteſtati ſummæ ſubiectam atq; ſubordinatam; non poteſt propter talem poteſtatem affirmare Chriſtum eſſe verum Deum. Neque enim verus Deus dici poteſt ſine ſumma poteſtate, neq; ſumma poteſtas dici poteſt, niſi cùm nulli eſt ſubiecta.

Quare cùm aſſerit, abſolutam poteſtatem Diuinam eſſe Chriſto conceſſam, vel ſecum pugnat, vel æquiuocatione rem inuoluit. Si enim poteſtatem abſolutam eam intelligat, quæ ſit ſumma & nulli ſubiecta, ſecum ipſe pugnabit, cùm neget poteſtatem, tali modo abſolutam, Chriſto tributam eſſe. Si verò abſolutam intelligat reſpectu aliorum tantùm, ita vt à nullo alio præterquam à Deo pendeat, nec in vſu ſuæ poteſtatis ab alio impediri poſſit; ſic poteſtas Chriſto homini conceſſa, dici poteſt eo ſenſu abſoluta; non tamen reſpectu Dei, cuius poteſtati ſemper eſt ſubiecta & ſubordinata: ita vt & in ſalute nobis cōferenda à Patre pendeat dicto modo: *Sedere*, inquit, *ad dexteram meā, aut ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Hoc verò non eſt poteſtatem eſſe ſimpliciter abſolutam, ſed certo duntaxat modo: neque talis poteſtas ſufficit ad conſtituendum Chriſtum Deum: ſiquidem Dei poteſtas debet eſſe ſimpliciter abſoluta & ſumma, ac proinde nemini ſubiecta. alioqui à poteſtate miniſteriali non differret.

Abſoluta poteſtas.

Adiicit verò Moſcorouius, non eſſe metuendum, ne tot Deos colamus, quot homines Diuina poteſtate præditi fuerint. Nullum enim, inquit, ex omnibus reperias, qui abſolutam Diuinam poteſtatem habeat, eamq; Diuino modo exerceat, præter ſolum Chriſtum: nemini etiam datam eandem eo fine, vt Diuino cultu afficeretur,

Plures Dij eſſent colendi.

 niſi

Vnitas natu-ra colligitur

Iam verò quod addit Ioannes, *Et hi tres vnum ſunt*, exponit Moſcorouius, non de vnitate naturæ, ſed de vnitate teſtimonij, vt quia vnum teſtantur, dicantur eſſe vnum. Nec enim inſuetum eſſe ait, ſacris litteris, eos dicere vnum, quorũ eſt diuerſa natura. Plantans & rigans dicuntur eſſe vnum 1. Cor: 3. 8. Credentes quoque dicuntur in Chriſto eſſe vnum. Gal: 3. 10. Ex quo tamẽ vnitas naturæ colligi non poteſt. Verùm nos dicimus non ex modo loquendi abſolutè, ſed ex ſubiecta materia nos colligere, ſermonem eſſe hoc loco de vnitate naturæ: ſicut enim ſunt diuerſæ vnitates; ita ad vnitates diuerſas ſignificandas, poteſt idem loquẽdi modus accommodari, prout ſubiecta materia requirit. Porrò hoc loco ſubiecta materia requirit, vt de vnitate naturæ accipiatur. Dicuntur enim hi tres teſtes in cœlo, id eſt Diuini prorſus quoad naturam, quæ cùm ſit vna numero, neceſſe eſt hos tres non quomodocunq; vnum eſſe, ſed naturâ, & propter vnitatem naturæ vnum quoque teſtari; imò idcirco vnum teſtari, quia naturâ vnum ſunt: quorum enim vna natura eſt, vna quoque eſt ſcientia, & vna teſtificatio. Quocirca non eo ſenſu hos tres dixit Ioannes eſſe vnum, quo ij dicuntur vnum, qui cùm ſint naturâ diuerſi, in vnum teſtimonium conſpirant & cõſentiunt; hoc enim in teſtes illos naturâ Diuinos cadere non poteſt; ſed ſicut ij, qui cùm naturâ vnum ſint, non poſſunt non eſſe vnum & teſtimonio: ita vt etiamſi de vnitate teſtimonij verba Ioannis accipiantur, vnitatem tamen naturæ includant; & de ea teſtimonij vnitate, quæ ex vnitate naturæ proficiſcitur, intelligenda ſint.

Adducit pro ſe Moſcorouius codicem Hiſpanienſem, quo vſus eſt Arias Montanus, in quo legitur, *& hi tres in vnum ſunt* At quid vnius codicis auctoritas cõtra cæterorum omnium fidem valere poteſt? Hac enim ratione de ipſis Euangeliis, eorumque multis partibus dubitare liceret: eò quòd à nonnullis de iis dubitatum ſit. Neque verò etiamſi ea lectio admittatur, communi & vſu Eccleſiæ receptæ lectioni præiudicat: ſiquidem vtraque in idem recidit Modus enim Hebraicus id fert, vt cùm dicimus, eſto mihi in Deum protectorem, idem eſt, ac eſto mihi Deus protector. &, erit mihi in populũ, id eſt erit mihi populus: quare & hoc loco, idem eſt, eſſe in vnũ & eſſe vnum. Porrò hæc vnitas teſtium ſecundùm naturam Diuinam plurimùm faciebat ad auctoritatem teſtimonio illorum conciliandam

liandam; nempe quòd eorum auctoritas, eſſet auctoritas ſumma, nempe ipſius Dei veri.

Cùm verò inſtat Moſcorouius, etiam de tribus teſtibus in terra, hoc eſt de ſpiritu, aqua & ſanguine idem dici, *& hi tres vnum ſunt*, neque tamen eorum vnitas naturæ indicatur, inprimis aio lectionem illam eſſe dubiam, cùm & in plurimis exemplaribus non habeatur, & in quibus habetur, varia eſt. Nam in Græcis legitur; *Et hi tres in vnum ſunt*; in nonnullis verò Latinis: *& hi tres vnum ſunt*: ex lectione ergo tam dubia, nòn poteſt firmum contra nos argumentum colligi, maximè cùm aduerſarii Græcum textum Latino præferant, & in Græco habeatur, *in vnum*. Deinde ſi per tres teſtes in terra intelligamus, ſpiritum, quem Chriſtus in cruce emiſit; aquam & ſanguinem, quem ex latere aperto effudit, ita vt hæc tria teſtimonia fuerint veræ humanæ naturæ in Chriſto, ſicut Patris, Verbi, & Spiritus ſancti fuerunt teſtimonia Diuinitatis in Chriſto, tunc ſecundùm hanc expoſitionem dicere poſſumus, tres hos teſtes in terra eſſe vnum naturâ; quia vnam naturam Chriſti conſtituunt, & veram Chriſti naturam teſtantur. Si verò per hos tres teſtes intelligamus aquam Baptiſmi & ſanguinem redemptionis, & ſpiritum mentibus fidelium à Chriſto impreſſum: (Venit enim Filius Dei, non in aqua ſolùm, vt Ioannes; ſed in aqua & ſanguine, vt ibidem dicitur à Ioanne, & eo fine, vt ſpiritum hominibus daret, quæ ſunt in terris Chriſti Diuinitatis teſtimonia; nam & ex eo, quòd in nomine ipſius baptiſamur in remiſſionem peccatorum, verus Deus eſſe demonſtratur, & quòd nos ſanguine ſuo redemit, & Spiritu ſancto donauit. hæc enim humanam facultatem excedunt:) tunc ſecundùm hanc expoſitionem poſſumus interpretari hos tres eſſe vnum, non ob vnitatem naturæ, ſed quia vnam rem teſtantur. Verùm eam interpretationem ſubiecta materia expoſcit, cùm de rebus diuerſarum naturarum ſit ſermo, quod de tribus teſtibus in cælo dici non poteſt. Opponit verò Moſcorouius, etiam illa verba: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*, dubia eſſe: cùm in pleriſque exemplaribus Græcis, & in Syra editione non habeantur; à pleriſque etiam Patribus in citatione omittantur, vt à Cyrillo 12. Theſauri capite penultimo, Auguſtino 3. contra Maximinum c. 22. Nazianzeno Or: 5. Theol. Athanaſio, Didymo, Chryſoſtomo, Hilario, Bedà.

Teſtes in terra qui intelliguntur.

Digitized by Google

Verùm inprimis falſò citat Athanaſiũ, cùm is hoc loco vtatur. Deinde vti verè ab Hieronymo ſcriptum eſt, ab infidelibus tranſlatoribus ea verba olim omiſſa fuiſſe: ita conſtat multò ante ab antiquitate fuiſſe recepta, vt ab Higino epiſtola 1. Cypriano libro de vnitate Eccleſiæ. Athanaſio in lib: 1. ad Theophilum de vnica Deitate Trinitatis. Idacio in lib: aduerſus Varimadũ, & quod caput eſt, Eccleſiæ Catholicæ vſu comprobata. Porrò ſicut alias canonicas ſcripturas non niſi ab Eccleſia accepimus: ita neq; de huius teſtimonij auctoritate dubitare debemus.

APPENDIX

In qua oſtenditur Moſcorouium probare minimè potuiſſe, Chriſto Diuinitatem donatam eſſe.

AD finem ſuæ Refutationis vindicare ſe voluit Moſcorouius ab ijs, quæ in monſtris Arianiſmi contra errorem ipſius oppoſueram, quo aſſerebat donatam fuiſſe Chriſto Diuinitatem. Et quidem ante omnia aſſerit, nuſquam à ſe dictum eſſe, in loco aliquo ſcripturæ dici expreſſè donatam Chriſto Diuinitatem, ſed ſolùm id ex locis Philip: 2. Matth: 28. & alijs neceſſariò colligi. Libenter hoc à Moſcorouio audimus. Itaq; rationes, quibus id ex ſcriptura colligit, videamus, atq; ſingulas expendamus.

Nomen ſuper omne nomen quid?

Quod ad locum Philiph: 2. attinet, in eo dicitur, donatum eſſe nomen ſuper omne nomen. Ex quo ſic argumentatur Moſcorouius: Si donatum, inquit, eſt Chriſto nomen ſuper omne nomen, in eum finem, vt Chriſtus Diuino cultu ab omnibus afficeretur; hinc neceſſariò efficitur, donatam Chriſto Diuinitatem. Quam conſecutionem ego non ſolùm non neceſſariam, ſed prorſus ineptam eſſe affirmo. Ex donata enim nominis celebritate, non rectè concluditur res ipſa donata, vt per ſe manifeſtum eſt: poteſt enim res eſſe, ſine vlla nominis celebritate, & poteſt nominis celebritas accedere rei, quæ ante exiſtebat, ſed occulta & incognita mundo. Cùm igitur hoc loco Paulus nihil aliud donatum Chriſto dicat, niſi nominis ipſius celebritatem, nempe vt is, qui propter paſſionem & mortem humi-

humiliatus, & à mundo non agnitus nec adoratus fuit, poſt Reſurrectionem eius, in toto mundo eſſet ita celebris, *vt in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei Patris*; ſequitur ex hoc loco concludi non poſſe donatam Chriſto Diuinitatem.

Donatam verò eſſe Chriſto ſolam nominis celebritatem, & Paulus hoc loco docet, & ratione euidenti concludit. Explicans enim quomodo Chriſto ſit donatum nomen ſupra omne nomen, ſolius celebritatis meminit: *Vt*, inquit, *in nomine* IESV *omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur.* Cultus enim & veneratio publicaque profeſſio nominis Chriſti, quid eſt aliud, quàm nominis celebritas, eaq; celebritas opponitur illi humiliationi vſque ad mortem crucis ignominia plenam. Id quod etiam ratione concluditur. Non enim eo ſenſu Paulus dixit donatum eſſe Chriſto nomen ſupra omne nomen, quaſi Chriſti nomen non fuerit ante tota vita, nomen ſupra omne nomen. Erat enim tam ante humiliationem, quàm ante exaltationem Chriſtus in forma Dei æqualis Deo, teſte Paulo. Is porrò, qui in forma Dei æqualis Deo eſt, habet nomen ſuper omne nomen: quia eſt æqualis altiſſimo, & tantus quantus ipſe Deus. Adhæc per ſe manifeſtum eſt, nunquam in mundo maius aliquid fuiſſe, ipſo Chriſti nomine: Nulli enim hominum aut Angelorum contigit eſſe æqualẽ Deo & in forma Dei; & tam præſtanti ratione eſſe Deum, & Filiũ Dei, quàm Chriſtus tota vita ſua fuit Deus & Filius Dei. Cùm igitur negari nullo modo poſſit, Chriſtum ante habuiſſe nomen ſuper omne nomen, ratione cuius digniſſimus erat omni honore & cultu; neceſſario fatendum eſt, non hoc illi poſt reſurrectionem donatum eſſe, quod ante ſemper habuit, ſed ſolùm nominis celebritatem in toto mundo: vt nomen IESV, quod in ſeipſo ſemper erat ſuper omne nomen, eſſet quoque in toto mundo ſuper omne nomen, ab omnibus adoratum & celebratum: vti luculenter in ſecundo de erroribus Arianorum libro cap: 8. contra Smalcium probauimus.

Chriſtus habuit nomen ſuper omne nomen ante mortem.

Obiicit Moſcorouius, cùm nomen ſuper omne nomen in obedientiæ præmium Chriſto donatum ſit, conſequens eſſe, ante obedientiæ conſummationem, illud Chriſtum non habuiſſe. Nam ſi habuit, nullo modo illi propter obedientiam donari potuit. Sed ineptit Moſcorouius. Nos enim fatemur id eſſe Chriſto donatum pro-

Obiectiones Moſcorouij inanes.

pter obedientiam, quod ante non habuit. Porrò celebritatem nominis in cœlo & in terra non habuit; Hæc igitur illi donata eſſe dicitur à Paulo. Inde verò non efficitur illud nomen, ſuper omne nomẽ, Chriſtum ante non habuiſſe abſolutè, ſed ſolùm cum illa celebritate non habuiſſe. Non enim ſi quis nominis celebritate caret, ideo nomine ipſo carere cenſendus eſt.

Iam verò cùm ait, eſſe in forma Dei æqualem Deo, non eſſe nomen ſupra omne nomen ab omnibus cœleſtibus, terrenis, & infernis naturis adorandum habere, in eadẽ æquiuocatioue verſatur. Aliud enim eſt habere nomen dignum, vt ab omnibus adoretur: aliud re ipſa ab omnibus adorari. Ex hoc igitur, quòd Chriſtus ante mortẽ fuit in forma Dei, æqualis Deo, ſequitur talem ac tantum fuiſſe, vt eius nomen fuerit digniſſimum ſummo honore & adoratione: licet ea adoratio non fuerit illi tunc præſtita: poſt mortem verò in toto mundo effectum eſt, vt re ipſa adoraretur ab omnibus cœleſtibus, terrenis, & infernis naturis: hocq; illi in præmium obedientiæ donatum eſt. Sed pergit nugari Moſcorouius.

Humiliatio Chriſti. Humiliatio, inquit, in Deum non cadit: ſiquidem eo ipſo altiſſimus eſſe deſineret: At non intelligit pro ſuo acumine Moſcorouius, quid ſit humiliari. Id enim non eſt dignitatem ipſam amittere, & indignum effici, cui cultus & honor deferatur, ſed eſt, dignitate ſua retenta non pro dignitate tractari, ad eamque tractationem ſponte ſe ſubmittere, ad eum modum, quo Rex ſua poteſtate & dignitate Regia non amiſſa, ſi à rebellibus ſubditis, indignis modis tractetur, re ipſa honore ſibi debito caret. quo tamen non deſinit eſſe digniſſimus: & qui de iure eſt Dominus ſubditorum ſuorũ, ab ipſis tamen non vt Dominus tractatur. Hoc igitur modo Filium Dei humiliatum eſſe dixit Paulus, quia *cùm in forma Dei eſſet æqualis Deo, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & ſe humiliauit factus obediens vſq; ad mortem.* Phil: 2.

Exaltatio Chriſti. Addit: ſi Chriſtus fuit Deus altiſſimus, quid opus erat, vt Deus efficeret, quo honor & gloria eidem à cœleſtibus præſertim naturis & Angelis præſtaretur? Verùm ſicut in natura humana ſe humiliauit ex obedientia & mandato Patris: ita opus erat, vt à Patre in compenſationem tantæ obedientiæ, acciperet, vt ab omnibus etiam cœleſtibus naturis ſibi cultus & honor altiſſimo debitus exhiberetur.

tur. Nam & ille homo tantoperè humiliatus, ſimul erat Deus ille altiſſimus, ideoque honore altiſſimi digniſſimus. Et cùm ex obedientia Patris ſe humiliauerit, debuit viciſſim à Patre effici, vt ei honor ille ab omnibus deferatur. Sicut enim ſua obedientia Patrem clarificauerat in terris; ita voluit à Patre viciſſim clarificari in cœlis, Ioan: 17. 4. Quanquam cùm vna ſit Patris & Filij poteſtas, & quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit, Ioan: 5. dubium non eſt, Chriſtum ſua Diuina poteſtate vnà cum Patre effeciſſe, vt is honor ſibi ab omnibus impenderetur.

At ſi Chriſtus, inquit Moſcorouius, fuit antea altiſſimus in ſe ipſo, exaltari nulla ratione propriè potuit. Sed ecce rurſus non intelligit, quid ſit exaltari, & in quo ratio exaltationis ſit poſita. Non enim dicimus Filium Dei exaltatum in ſeipſo, vt maior ſeipſo fuerit factus. Semper enim erat in forma Dei æqualis Deo: & quia æqualis Deo, ideo altiſſimus: altiſſimo enim æqualis eſſe nequit, niſi altiſſimus; ſed aſſerimus cum Paulo exaltatum eſſe à crucis ignominia, ad eam nominis celebritatem, vt in eius nomine omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flectatur, quod non eſt fieri ſeipſo maiorem, ſed in mundo apud omnes celeberrimum: quo etiam modo in ſcripturis ſæpè poſtulatur exaltatio Diuina, *Exaltare Domine in virtute tua.* Neq; propter exaltationem talem, Deus eſſe altiſſimus ante deſierat, ſed pro altiſſimo haberi & adorari ab omnibꝰ cœpit.

Tandem ait, ex forma Dei & æqualitate cum Deo colligi non poſſe, Chriſtum fuiſſe altiſſimum: cùm is qui in forma Dei ſit, referatur ad Deũ, cuius formam circũtulerit: & is qui eſt æqualis Deo, Deum, cui æqualis ſit, præſupponat. Nos contra dicimus; ſi ea forma, veri Dei forma fuit, Chriſtus in forma Dei exiſtens, non qualiſcunq; Dei, ſed veri Dei formam habebat, ac proinde verus Deus erat. Neq; enim in forma Dei eſſe, eſt Diuinam poteſtatem quocunque modo ſibi communicatam habere: alioqui Apoſtoli quoque in forma Dei fuiſſent, qui poteſtatem miniſterialem miracula faciendi Diuinitus habebant: Sed eſt, poteſtatẽ Diuinam, eo modo quo Deus habet: habere, hoc eſt abſolutam, propriam ſibi atque naturalem. Vnde cùm Moſcorouius ait, eum qui in forma Dei ſit, referri ad Deum; cuius formam in ſe habet; ſi intelligat referri tanquam ad aliam perſonam verum eſt: ſi tanquam ad alium Deum, falſum: manente

Forma Dei quid?

Digitized by Google

nente enim vnitate naturæ, referri poteſt Filius ad Patrem tanquam is, qui eandem Dei formam, qua Pater eſt præditus, habeat: vt pote qui à Patre, Patris ipſius naturam generatione acceperit. Similiter dicimus, ſi Chriſtus ſit æqualis Deo, non infra Deum, nec quid minus Deo erit, ſed idem quod Deus. Par enim altiſſimo eſſe nonniſi altiſſimus poteſt. Cùm verò ſubdit Moſcorouius eum, qui æqualis Deo eſt, præſupponere Deum, cui æqualis ſit. Si ita præſupponere velit, vt detur is Deus, cui Chriſtus æqualis eſſe dicatur, id veriſſimum eſt. Is enim Deus, cui Chriſtus æqualis dicitur, eſt Pater. At ſi diſtinctum Deum præſupponi velit, toto cælo errat. Nam etiamſi vnam eandemque naturam habeat quam Pater, erit procul dubio æqualis Patri: Siquidem habebit tantam perfectionem Diuinam, quantam Pater. Quod ad rationem æqualitatis ſufficere exemplo quantitatis oſtendimus: Si enim duo corpora vnam ac eandem quantitatem haberent (quod virtute Diuina fieri poteſt) verè eſſent & dicerentur æqualia: quia tanta eſſet vnius, quanta alterius quantitas. Quocirca nec ad æqualitatem Chriſti cum Deo requiritur, vt diſtincta ſit vtriuſque Diuinitas: ex quo patet quàm ineptè concludat Moſcorouius: ſi Chriſtus ſit æqualis Deo, Deum, cui æqualis eſſe dicitur, eſſe diſtinctum ab ipſo Deum, cùm eadem Diuina natura in vtroq; manente, ſeruetur vtriuſq; æqualitas; maximè cùm niſi Diuina natura ſit vna in vtroq;, Filius dici non poſſit æqualis Patri. Nam neq; ratione naturæ inæqualis, dici poteſt Filius æqualis Patri: neq; diuerſam naturam æqualem Patri habere poteſt, cùm Diuina natura non ſit niſi vna.

Æqualitas cum Deo.

Secundo loco probat Moſcorouius, donatam Chriſto Diuinitatem ex donata Chriſto poteſtate Diuinà, de qua Math: 28. dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* &c. 1. Cor: 15. 27. *Omnia ſubiecta ſunt ei, præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Verùm ſi Moſcorouius de poteſtate creata, quæ Chriſto homini conceſſa eſt, & in humana eius natura reſidet, loquatur, nullo modo admitti poteſt, eiuſmodi poteſtate Diuinitatem Chriſti contineri, neque propter talem poteſtatem Chriſtum pro Deo adorari poſſe. Primùm, quòd talis poteſtas eſt poteſtas creata. Fieri autem non poteſt, vt propter aliquam perfectionem creatam, pro Deo vero coli quiſpiam poſſit. hoc enim eſſet creaturam pro Deo vero colere, & ſine natura Diuina, Deum verum

Poteſtas creata Chriſti non facit verum Deum.

verum agnoſcere, atque adeò ſimilitudinem cum Deo accidẽtariam cum ipſa eius eſſentia confundere. Deinde talis poteſtas eſt omni ratione dependens à Deo & ei ſubiecta; propter poteſtatem autem dependentem ab alio, non poteſt quis pro Deo coli; ſiquidem poteſtas Dei, nõ eſt miniſterialis & inſtrumẽtaria, ſed principalis & ſumma, ſeu poteſtas primi principij, Rom: 11.36. *Quoniã enim ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula.* Eſſe verò poteſtatem Chriſto, vt homini, conceſſam, omni ratione à Deo dependentem, manifeſtius eſt quàm vt probari debeat. Nam & quoad eſſentiam ſuam dependet à Deo tota: ſicut & omnes aliæ res creatæ: ſiquidem à Deo tam in fieri, quàm in conſeruari dependet; poteſtq; ad libitum à Deo auferri & deſtrui, ſi Deus tota ſua poteſtate vti velit. Dependet etiam in omni ſuo vſu, tum quia Dei concurſu & influxu continuo opus habet: ſiquidem omnes cauſæ ſecundæ egent cõcurſu cauſæ primæ: tum quia à Deo ad nutum impediri poteſt: tum quia in eo vſu Chriſtus à Deo totus ſubordinatus & ſubiectus: quod vel ex eo patet, quòd in cœlo vbi poteſtatem hanc ſuam, ratione cuius eſt ſummus Pontifex, exercet, accedit ad Deum, & interpellat pro nobis: vti ſacræ literæ non ſemel teſtantur; quod euidens argumentum eſt in eius poteſtatis vſu dependere à Deo, eique ſubiectum eſſe. Accedit quòd poteſtas abſq; natura Diuina Deum non conſtituit; neq; omnino vlla res abſq; ſua natura, dici verè talis poteſt: quantacunq; igitur ſtatuatur in Chriſto homine poteſtas diuinitus ei conceſſa, ſi ſit à natura Diuina ſeparata, conferre Chriſto Diuinitatem talem minimè poterit, propter quam is pro Deo vero coli poſſit & adorari. Præterea poteſtas, quæ eſt longè minor poteſtate Diuina, Deum verum non conſtituit, vti & ipſi aduerſarij non ſemel fatentur, cùm aiunt Chriſtum non propter poteſtatem quamcunq; pro Deo coli, ſed ſolùm propter talem ac tantam, quæ ſit par poteſtati Dei ipſius. Et ſanè meritò. Non enim idem honor ſummæ poteſtati & inferiori debetur. Si igitur Diuinæ ſũmæ poteſtati, Diuinus honor debeatur, non illicò ſequitur longè minori & inferiori poteſtati eundẽ Diuinum honorem deberi, ſed eum qui Diuino inferior eſt. Cùm igitur certiſſimum ſit, omnem eam Chriſti poteſtatem, quæ in humana eius natura reſidet, longè minorem eſſe poteſtate, quæ in Deo eſt, conſequitur neceſſariò talem poteſtatem, nec Deum verum conſtituere, neq; eſſe

Poteſtas creata Chriſti dependet à Dei poteſtate.

Eſt minor poteſtate Diuina.

Diuini honoris iuſtam cauſam. Porrò eſſe hanc Chriſti poteſtatem longè minorem & inferiorem poteſtate, quæ in Deo eſt, nimis perſpicuum eſt. Nam & in ratione poteſtatis, eſt longè minor, cùm ea, quæ in Deo eſt, omnem prorſus poteſtatem comprehendat, tam ad creandum, quàm ad conſeruandum, & quiduis de rebus faciendum, qualem poteſtatem iſti Chriſto non concedunt, ſed eam poteſtate ſaluandi definiunt. Eſt etiam minor propter dependentiam, tum in eſſentia, tum in omni ſuo vſu, vti dictum eſt. Ea verò, quæ in Deo eſt poteſtas, vtroque modo eſt independens. Denique cùm dari ad nutum & auferri à Deo poſſit, multò inferior eſt ea potate, quæ Deo eſt innata, quæque mutationi ſubiacet nulli. Quæ omnia cùm primo libro de erroribuss Arianorum c. 10. & 2. lib. c. 1. fuſè perſecuti ſimus cõtra Smalciũ, hîc ſatis erit rem obiter indicaſſe.

Cùm igitur ait Moſcorouius, poteſtatem cui omnia præter Deum ſunt ſubiecta, eſſe prorſus Diuinam, ſecum ipſe pugnare videtur. Nam cùm hæc poteſtas, ſit ei, quæ in Deo eſt, poteſtati ſubiecta, eaque inferior, dici non poteſt prorſus Diuina, hoc eſt talis ac tanta, qualis & quanta in Deo eſt. Poteſtas enim quæ in Deo eſt, eſt poteſtas primi principij, & nulli ſubiecta. Poteſtas verò, quam iſti in Chriſto, quà homo eſt, ſtatuunt, non eſt poteſtas primi principij, ſed ſecundi, atque adeò eſt poteſtas inſtrumentalis & miniſterialis, Dei poteſtati ſubiecta atque ſubordinata.

Neque verò refert, quòd Deus omnia, præter ſe, ſubiecisse Chriſto dicatur; id enim verificari poteſt, etiamſi Chriſto tanquam ſuo generali Miniſtro, & omniũ rerum, loco ſuo adminiſtratori, omnia ſubiecerit; ſicut & Rex poteſt omnem ſuam poteſtatem ſuo Proregi conferre in omnes ſuos ſubditos, ſe excepto, ſua nihilominus iuriſdictione ſalua. Etenim ſi Rex alicui conferat poteſtatem in omnes ſuos ſubditos, & in totum ſuum Regnum: ita tamẽ vt ſibi ſummam poteſtatem & iuriſdictionem reſeruet, tam in eum cui poteſtatem contulit, quàm in totum Regnum; dubio procul poteſtas ea collata non erit ſumma, ſed ſubiecta ſummæ poteſtati, neque faciet Regem ſed Proregem; non abſolutum Dominum, ſed Miniſtrum & Vicarium eius generalem.

Faciunt Chriſtum generalem duntaxat Vicarium.

Ex quo manifeſtum eſt, ſi poteſtas Chriſti ſtatuatur poteſtati Dei ſubiecta & ſubordinata, nullo modo Chriſtum eius reſpectu dici poſſe Deum verum, ſed Dei veri Miniſtrum. Poteſtas enim ſubie-

Et Dei miniſtrum.

cta ſuperiori poteſtati, non eſt poteſtas ſupremi Domini, ſed Miniſtri. Eſſe autem Deum, eſt, eſſe cum ſumma in omnia poteſtate. Itaque cùm ait Moſcorouius, quemadmodum is, qui Regiam poteſtatẽ conſecutus eſt, Rex prorſus eſt; ita Chriſtus, cui Diuina poteſtas, eaq; abſoluta, in ea, quæ ipſi ſubiecta ſunt, contigit: ob hanc Diuinam poteſtatem & imperium, Deus ſit neceſſe eſt. Reſpondendum eſt, quod quemadmodum is Regiam poteſtatem non conſequitur, qui habet quidem poteſtatem in Regnum; verùm non ſummam, ſed ſummæ poteſtati ſubiectam ac ſubordinatam; Regia enim poteſtas, ſumma vt ſit neceſſe eſt: ita cùm Moſcorouius Chriſto tribuit poteſtatem Diuinam in omnia, verùm non ſummam, ſed poteſtati ſummæ ſubiectam atq; ſubordinatam; non poteſt propter talem poteſtatem affirmare Chriſtum eſſe verum Deum. Neque enim verus Deus dici poteſt ſine ſumma poteſtate, neq; ſumma poteſtas dici poteſt, niſi cùm nulli eſt ſubiecta.

Quare cùm aſſerit, abſolutam poteſtatem Diuinam eſſe Chriſto conceſſam, vel ſecum pugnat, vel æquiuocatione rem inuoluit. Si enim poteſtatem abſolutam eam intelligat, quæ ſit ſumma & nulli ſubiecta, ſecum ipſe pugnabit, cùm neget poteſtatem, tali modo abſolutam, Chriſto tributam eſſe. Si verò abſolutam intelligat reſpectu aliorum tantùm, ita vt à nullo alio præterquam à Deo pendeat, nec in vſu ſuæ poteſtatis ab alio impediri poſſit; ſic poteſtas Chriſto homini conceſſa, dici poteſt eo ſenſu abſoluta; non tamen reſpectu Dei, cuius poteſtati ſemper eſt ſubiecta & ſubordinata: ita vt & in ſalute nobis cõferenda à Patre pendeat dicto modo: *Sedere*, inquit, *ad dexteram meã, aut ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Hoc verò non eſt poteſtatem eſſe ſimpliciter abſolutam, ſed certo duntaxat modo: neque talis poteſtas ſufficit ad conſtituendum Chriſtum Deum: ſiquidem Dei poteſtas debet eſſe ſimpliciter abſoluta & ſumma, ac proinde nemini ſubiecta. alioqui à poteſtate miniſteriali non differret. *Abſoluta poteſtas.*

Adiicit verò Moſcorouius, non eſſe metuendum, ne tot Deos colamus, quot homines Diuina poteſtate præditi fuerint. Nullum enim, inquit, ex omnibus reperias, qui abſolutam Diuinam poteſtatem habeat, eamq; Diuino modo exerceat, præter ſolum Chriſtum: nemini etiam datam eandem eo fine, vt Diuino cultu afficeretur, *Plures Dij eſſent colendi.*

niſi ſoli Chriſto. Verùm non ſoluit nos metu Moſcorouius. Nam ſi propter poteſtatem Diuinam inferiorem, Deoque ſubiectam, Chriſtus coli pro Deo poteſt; poterunt etiam alij omnes pro Diis coli, quotquot Diuina poteſtate fuerint prædití. Vtraq; enim poteſtas eſſet abſolutè infra Diuinam, ſolùmque diceretur Diuina, quia eſſet eius, quæ in Deo eſt, participatio quædam. Si ergo participatio Diuinæ poteſtatis Diuinum cultum meretur, omnes quotquot Diuinam poteſtatem participant, merebuntur cultum Diuinum. Nam quod ait, Chriſti poteſtatem eſſe abſolutam, iam oſtenſum eſt id dici nō poſſe, ſi poteſtas in Chriſto ſubiecta & ſubordinata Diuinæ poteſtati ſtatuatur. Hoc enim modo & Miniſtrorum poteſtas eſſet abſoluta; & aliorum hominum, quibus Deus ſuam poteſtatem ſæpè ita communicat, vt in eius vſu à nullo niſi ab ipſo Deo dependeant.

Modus Diuinæ poteſtatis quis?

Similiter cùm ait, Chriſtum eam poteſtatem Diuino modo exercere. Primùm ſi eſſentiam poteſtatis ſpectes, non poteſt Diuina poteſtas niſi Diuino modo exerceri. Deinde ſi modus Diuinæ poteſtatis ſpectetur; is eſt abſolutus ſine vlla ſubiectione ac dependentia; quem modum cùm Chriſto non concedat Moſcorouius, quomodo audet affirmare, eum Diuino modo ſuam poteſtatem exercere? Quod ſi Diuinum modum in eo conſtituat, quòd ea poteſtas ſit par poteſtati Diuinæ, id quoq; ex ipſius ſententia falſum eſſe oportet. Cùm enim non concedat Chriſto poteſtatem aliam, præter eam, quæ ſit ſubiecta & ſubordinata Diuinæ poteſtati, qui poteſt eam parem Diuinæ poteſtati, quæ eſt poteſtas primi principij aſſerere, niſi minus maiori, inferius ſuperiori dicatur eſſe par. Nam ſi dicatur eſſe par, quoad effecta, id neq; abſolutè verum eſt in ſententia Moſcorouij & ſuorum, qui Chriſti poteſtatem non in omnia abſolutè, ſed in omnia ad ſalutem ſpectantia, eſſe volunt: quo fit vt etiam reſpectu effectorum poteſtas Chriſti non ſit par poteſtati Diuinæ. Imò neq; in certo rerum genere, hoc eſt in rebus ad ſalutem ſpectantibus poteſt dici par. Nam ſicut poteſtas Generalis Vicarij, & ſi omnia ſibi conceſſa poſſit, non dicitur par poteſtati Domini, cùm ipſamet ſit ei ſubiecta & ſubordinata: ita & de poteſtate Chriſti, quam eſſe ſubiectam Dei poteſtati concedunt Ariani, idem dicendum eſſet: aut ſi hoc ſatis ſit ad dicendam parem poteſtatem, quod ad ea omnia, quæ ipſi commiſſa ſunt, ſe exerat: hoc etiam modo poteſtas Diuina alijs com-

Non poſſunt dicere Ariani, poteſtatem Chriſti eſſe æqualē Dei poteſtati.

lijs communicata dici poterit par Diuinæ poteſtati: quia ad ea omnia ſe extendit, ad quæ poteſtas illa data eſt à Deo. Verùm de hoc pluribus in 1. de erroribus Arianorum libro à nobis actum eſt. Denique cùm ait Moſcorouius, ſoli Chriſto datam eſſe poteſtatem eo fine, vt Diuino cultu afficeretur, ſi id de poteſtate increatâ intelligat, eſt verum: ſi de creata, probare id ex ſcripturis in ſuo ſenſu non poteſt. Nam de poteſtate iudiciaria paulò poſt agemus. Si enim Chriſtus non eſſet ſubſtantialiter Deus, non poſſet vllo modo propter Diuinæ cuiuſcunq; poteſtatis participationem pro Deo coli.

Inſtat Moſcorouius, Deum ſecus cum Chriſto egiſſe, quàm Rex cum Prorege agat, vel ſuo Generali Vicario. Etenim Proregi & Vicario Generali, ſi Rex concedat iudicandi & gubernandi poteſtatem, tamen non abſolutam, ſed certis terminis definitam atque concluſam, nihil mirum eſt, ſi pro ipſo Rege non agnoſcatur; cui ſi abſolutam poteſtatem Rex concederet, tum ille non Proregis, ſed Regis nomen & locum obtineret. Deus verò Chriſto poteſtatem in omnia abſolutam, ſe ipſo excepto, conceſſit.

Exemplum Proregis expenditur.

Aſt fallitur egregiè Moſcorouius. Etenim, vt poteſtas aliqua ſit Regia, non ſatis eſt, quòd ſit poteſtas omnia pro arbitrio faciendi, ſed requiritur, vt ſit ſumma & nulli alteri ſuperiori ſubiecta. Nam & famulo Dominus poteſt tribuere poteſtatem faciendi omnia pro libitu, ſibi tamen ſummam poteſtatem reſeruando, quâ poſſit vti, quotieſcunque velit, tum in ipſum famulum, tum in cæteros ipſi commiſſos. Quocirca & Rex ſi Proregi tribuat poteſtatem omnia in Regno pro libitu faciendi, ſed reſeruata ſibi ſuprema in Proregem atq; omnes poteſtate: talis poteſtas Proregi conceſſa, non faciet illum Regem, ſed Proregem, ſeu ſubſtitutum Regium, cum plena in omnia poteſtate. Regia enim poteſtas non eſt niſi ſumma: poteſtas verò dicta, cùm ſit ſummæ ſubiecta, non eſt ſumma. Nequit igitur dici poteſtas Regia. Neq; ſatis eſt ad poteſtatem Regiam, poteſtas omnia in Regno pro libitu faciendi. Talem enim poteſtatem Rex etiam Miniſtro concedere poteſt, non tradendo illi Regiam, id eſt ſummam poteſtatem: illa enim poteſtas propter ſubiectionem, eſſet minor Regia, quia non ſumma. quocirca neque abſolutè eſſet Regia. Cùm autem non ſit Regia, Regem conſtituere non poteſt.

Ex quo patet ad Regiam poteſtatem, non ſatis eſt eſſe quomo-

docunque abſolutam, hoc eſt reſpectu ſubditorum tantùm, quibus pro libitu imperare poſſis, ſed opus eſt præterea eſſe abſolutam reſpectu ſuperioris, ita vt nulli poteſtati ſuperiori ſubiaceat, qua vel reſtringi, vel tolli poſſit, ſed ſit ſumma prorſus ac independens. Cùm igitur Diuina poteſtas in Chriſto ſecundùm Arianos non ſit ita abſoluta, vt non ſit ſubiecta ſuperiori poteſtati, hinc fit vt ea verum Deũ non poſſit cõſtituere, nec eius reſpectu Diuinus cultus impendi Chriſto debeat. Deniq; ea poteſtas Chriſto non ita vt Deo conuenit.

Friuola verò eſt illa exceptio Moſcorouij, cùm ait Chriſti poteſtatem dici poſſe dependẽtem, quatenus ipſe Deus, eſt auctor eius: at quatenus eam Chriſtus exercet, independentem eſſe: cùm ea Chriſtus, vt abſolutus Dominus, pro ſuo arbitratu vtatur. Non aduertit enim Moſcorouius, eam Chriſti poteſtatem non ſolùm in fieri à Deo dependentem eſſe, ſed etiam quoad totam ſuam rationem à Deo dependere in conſeruari; & eſſe ita Dei poteſtati ſubiectam, vt ab eo poſſit ad libitum auferri vel reſtringi. Porrò qui tali poteſtate vtitur, non vtitur eâ, vt Dominus abſolutus, etiamſi eâ pro arbitrio vtatur; illa ſiquidem dependentia & ſubiectio ſuperiori poteſtati, vſum omnino abſolutum impedit, & Miniſter ex commiſſione Domini poteſt delegata ſibi poteſtate pro arbitrio vti, etiamſi abſolutam Domini poteſtatem non habeat, ſed ſit Domini poteſtati omniquaque ſubiectus.

Accedit, quòd Chriſtus ratione ſuæ poteſtatis creatæ, à qua ſummus Pontifex noſter dicitur, non Deus, ſed Miniſter Sanctorum ſeu Sanctuarij cœleſtis à Paulo appellatur. Heb: 8. 2. Omnis enim ratio poſtulat, vt ea poteſtate, qua quis Deo ſubiicitur, Deus eſſe verus non dicatur. Cùm verò hinc Moſcorouius infert, ſi Chriſtus ſit ſacerdos Dei altiſſimi, non poſſe eſſe ipſum Deum altiſſimum; id non rectè inferri ex eo conſtat, quòd cùm ratione poteſtatis creatæ in natura humana reſidente ſit ſacerdos altiſſimi, eiuſdem etiam poteſtatis ratione, ſequitur non eſſe Deum altiſſimum: non autem ſequitur alia ratione & alterius naturæ reſpectu dici non poſſe Deum altiſſimum. Adhæc nunc ſolùm hoc vrgemus, ſi Chriſtus non habeat aliam poteſtatem, quàm creatam & dependentem Deoque ſubiectam, non poſſe ipſius reſpectu dici Deum, ſed Dei miniſtrum. Sic enim appellatur à Paulo, *Miniſter Sanctorum.* Nam Dominum eſſe, non eſt eſſe alterius

Chriſti, vt eſt ſummus Pontifex, nõ eſt Dei poteſtas.

terius ſeruum, ſed abſolutum Dominum alteri non ſubiectum; quod cùm ſoli Deo ſummo conueniat, Chriſto conuenire non poteſt, niſi idem ſummus Deus eſſe credatur.

Duplex poteſtas in Chriſto.

Addit Moſcorouius, non poſſe ex ſcripturis probari, præter poteſtatem creatam, eſſe in Chriſto poteſtatem increatam & innatam Chriſto ratione Diuinæ eius naturæ. Verùm eam poteſtatem nos probauimus ex eo, quòd ſcriptura Chriſtum & æqualem Deo & minorem agnoſcit. Eſt igitur in Chriſto duplex poteſtas, altera qua minor eſt Patre, Patrique ſubiectus: altera qua eſt æqualis Patri, ac omnia vnà cum Patre operatur, quam æqualitatē abſolutam eſſe ſatis neruoſè in lib: 1. de errorib. Arianorum c. 11. & in 2. lib: c. 5. probauimus.

Si, inquit Moſcorouius, Chriſtus habuit innatam poteſtatem, vti Deus naturâ habet, nulla poteſtas illi in cœlo & in terra à Deo donari potuit. Nec enim id donari poteſt cuiquam, quod ipſe naturâ habet. Sed id ineptiſſimè à Moſcorouio obiicitur. Nam ſi Chriſtus ſolùm naturâ Deus eſſet, non poſſet ei poteſtas vlla donari à Deo, cùm omnis poteſtas in cœlo & in terra naturaliter illi cōpeteret: ſed quia non ſolùm Deus eſt, ſed etiam homo, ideo quatenus homo eſt, poteſt ei donari aliquid à Deo, ſiquidem ea poteſtas non eſt innata naturæ humanæ.

Æqualitas Chriſti cum Deo abſoluta.

Æqualitatem Chriſti cum Deo, Moſcorouius ait, oſtendere ſolùm poteſtatem Chriſti, quoad effectum eſſe parem Diuinæ. At hunc errorem 1. lib: de error: c. 11. confutauimus. Nam & ſcripturæ abſolutam æqualitatem indicant: & ſi de æqualitatē quoad effectus agatur, quæ in iiſdem effectibus efficiendis poſita eſt, ea non ſufficit, vt qui eoſdem effectus efficit impari ratione, æqualis abſolutè pronuncietur. Nam ſi famulus ex commiſſione Domini eadem faciat, quæ Dominus, non ideo dicetur æqualis poteſtatis cū Domino; quia ad æqualitatem poteſtatis, non ſatis eſt eadem facere, ſed æquali cū altero poteſtate & iure facere. Adhæc non poteſt dici quis, poteſtate æqualis Deo, ex eo, quòd idem poſſit quod Deus, niſi etiam ita poſſit vt Deus, hoc eſt pari iure in dependentia, perfectione: alioqui cùm omnes cauſæ ſecundæ in ſuo genere, poſſint idem quod Deus, dicendæ eſſent æquales Deo. Idem enim facere quis poteſt, quod alter, non tamen æquali cum altero perfectione. Demum Chriſtus ab Apoſtolo dictus eſt, æqualis Deo ante mortem. Atqui tunc non

credunt

credunt Ariani, Chriſtum potuiſſe omnia, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, vti in 2. lib: de error. demonſtrauimus, cùm eos, Chriſto multiplicem poteſtatem negantes refelleremus. Aiunt enim, poteſtate nos ſaluandi, & vita æterna donandi, & immortales reddendi, & à morte liberandi, & Spiritum S. nobis largiendi tunc caruiſſe. Cùm igitur, ne ratione quidem effectuum tunc credant fuiſſe Chriſtum æqualem Deo, conſequens eſt, illos omnem Chriſti cum Deo æqualitatem abnegare.

Ex his itaq; apparet, nulla ratione Chriſtum, propter poteſtatem creatam, Deum verum dici poſſe, & pro Deo colendum ac adorandum; cùm neq; poteſtas ſit Diuinitas, neq; abſq; natura quis Deus verè dici poſſit; & poteſtas Diuinæ poteſtati ſubiecta, ſubiectum Deo & Dei miniſtrum aut Vicarium, non verò Deum conſtituere queat.

Tertio loco Moſcorouius oſtendere nititur, ex iudicandi poteſtate data Filio à Patre, donatam eſſe Chriſto Diuinitatem. Dicit enim Ioan: c. 5. *Patrem dediſſe omne iudicium Filio*, id eſt omnem iudicandi poteſtatem: addit etiam dediſſe eo fine, *vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem.* Ex quo concludi ait, hanc poteſtatem eſſe Diuinam, & tantam quæ Chriſtum conſtituat Deum: ſiquidem propter illam ita honorificatur Filius ſicut & Pater.

Poteſtas iudicandi in Chriſto tanta, quanta in Patre.

At in hac probatione non ſemel labitur Moſcorouius. Primùm quòd illam poteſtatem iudicandi, propter quam honorificatur Filius, ſicut honorificatur & Pater; exiſtimet eſſe poteſtatem creatam in humana Chriſti natura reſidentem. Poteſtas enim creata nunquam eum honorem mereri poteſt, quem meretur increata; nec poteſtas inferior, eundem meretur honorem, quem ſumma poteſtas; neq; eundem honorem meretur ſubditus, quem Rex; nec deniq; poteſtas ſubditi poteſt eſſe ratio eiuſdem honoris, cuius eſt poteſtas Regia. Quamobrem ſi poteſtas iudicandi in Chriſto eſt talis ac tanta, vt propter eam Filius ita honorificetur, ſicut & Pater, & æquè vt Pater habeat vitam in ſemetipſo ad omnes viuificandos; eiuſmodi poteſtas, non poteſt eſſe, niſi increata & ſumma. Sicut enim Pater propter ſummam ſuam & increatam poteſtatem honorificatur vt Deus: ita & Filius, ſi honorificatur vt Pater, ſummam quoq; poteſtatem habere debet. Neque enim idem honor eſt ſummi & primi princi-

principij, qui eſt inferioris & ſecundi: neq; æquum eſt ſecundam cauſam æquè honorificari, vt primam; neq; ſubditum eodem honore affici, quo Dominum.

Inanis verò eſt euaſio Moſcorouij, cùm ait parem eſſe in Patre & Filio iudicandi poteſtatem, ſolùm quoad modum eam poteſtatem exercendi: imparem verò quoad cauſam poteſtatis, & inde ſecuti cultus. Nam inquit, cauſa prima poteſtatis in Filio eſt Pater, eo quòd eam Filio dederit, quæ cauſa non eſt in Patre: Cauſa itidem cultus in Filio eſt, quòd ei Pater omne iudicium dederit: cùm Pater non idcirco honorandus ſit, quòd ei omne iudicium ab alio ſit datum. Quæ omnia falſiſſima eſſe facilè demonſtratur.

Nam inprimis cùm ait, vtriuſq; poteſtatem parem eſſe, quoad modum eam poteſtatem exercendi, ſi id de poteſtate creata Chriſti intelligat, manifeſtam implicationem inuoluit. Non enim poteſt eſſe par poteſtas inferioris & ſuperioris, ſubditi & Regis, miniſtri & Domini, nec pari ratione exercetur. vti paulò ante docuimus.

Ex quo patet, poteſtatem creatam Chriſti non ſolùm eſſe imparem poteſtati, quæ in Deo eſt, quoad cauſam, quòd illa ſit creata, hæc increata, & ex conſequenti quoad cultum: (non enim eundem cultum poteſtas creata meretur, quem increata,) ſed etiam quoad modum eam poteſtatem exercendi; cùm poteſtas creata non ſit ſumma, nec vt ſumma exerceatur, nec cum ſupremo & independenti dominio, nec per modum primi principii, ſicut poteſtas Dei increata exercetur. Quocirca aut negare debet Moſcorouius ex pari honore Patris & Filij colligi debere parem in vtroque poteſtatem; & ex conſequenti probare ex hoc loco non poterit Chriſti Diuinitatẽ: aut ſi id non negat, non poteſt locum iſtum interpretari de poteſtate Chriſti creata, ſed neceſſariò de increata, quæ ſola, tantum cultum, quantus Deo debetur, promeretur.

Alter lapſus Moſcorouij eſt, quòd datam poteſtatem, donatam interpretetur: quàſi quidquid datur, donari ex liberalitate oporteat, cùm per ſe perſpicuum ſit, ea ſolùm donari, quæ ex liberalitate & gratia dantur: quæ verò dantur tanquam à natura inſita per generationem, ea non donata ſed innata cenſenda eſſe. Sic omnes perfectiones naturales dantur Filio à Patre per generationem: quantus enim quantus Filius eſt, à Patre eſt. Non igitur rectè inferre potuit Moſco-

Data poteſtas et donata nō idem.

Digitized by Google

Moſcorouius, ex eo quòd Chriſto ſit data poteſtas, donatam fuiſſe: & ſicut id inferre non potuit, ita neque donatam Chriſto Diuinitatem, quod probare conſtituerat.

At inquit, non poſſe oſtendi hanc poteſtatem in Chriſto innatam eſſe. Verùm nos ex hoc etiam loco id oſtendimus, in quo ex pari cultu par poteſtas Filij & Patris indicatur. Par autem poteſtas, ei quæ in Deo eſt poteſtati, creata eſſe non poteſt. Si verò ſit increata, non erit à natura Diuina diſtincta, ac proinde innata vt ſit oportet. Nam cùm ait, hanc poteſtatem, cùm data eſſe dicatur, non poſſe dici innatam, oſtendit ſuam ignorantiam, qua non intelligit aliqua dari etiam naturaliter poſſe: quæ autem à natura dantur, innata ſunt, non donata; ex natura, non ex liberalitate profecta.

Ei inquit, qui natura Deus eſt, non poteſt à quoquam vlla poteſtas dari. At & hoc friuolum eſt: nam ſicut naturam Diuinam, ita & omnem naturæ Diuinæ poteſtatem dari per generationem æternam nil repugnat: neque hactenus ab aduerſariis vlla in eo contradictionis implicatio notari potuit, vti primo libro de Chriſto à nobis oſtenſum eſt. Neque verò ſequitur, Deo quid ſuperius futurum. quæ enim ex natura dantur, non dantur tanquam à ſuperiore, ſed tanquam ab eiuſdem naturæ & poteſtatis principio.

Iam cùm vrget ex Ioanne illa verba, *Dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt,* non is ſenſus eorũ verborum eſt, quòd Chriſtus ſolùm, quia homo eſt, & creata poteſtate iudicet. Iudicat enim pari cum Patre poteſtate, quæ increata eſt & Diuina, ſed quòd eam per actus humanæ naturæ voluerit propter homines humano modo exerceri à Chriſto; quia enim Filius, eſt etiam homo, & homines erat iudicaturus, voluit Deus vt eam poteſtatem iudicandi humano modo propter homines exerceret. Quare cùm inſtat Moſcorouius, ſi ea poteſtas data eſt Chriſto, quia Filius hominis eſt, nō igitur quia Deus eſt; ineptè inſtat. vtrumque enim diuerſa ratione verum eſt. Nam quia poteſtas illi data, eſt par Patris poteſtati, idcirco ſine natura Diuina dari non potuit; ac proinde tanquam Deo vero naturaliter ex Patre genito data eſt: alioqui propter eam non poſſet honorari ſicut Pater; cùm propter inferiorem poteſtatem nemo debeat ita honorari, ſicut alter propter ſuperiorem. Quia verò ea poteſtas data etiam eſt vt humano modo exerceretur, ideo data ei eſt, quia Filius hominis eſt.

At in-

At inquit, Chriſtum idcirco *mortuum eſſe & reſurrexiſſe, vt viuis ac mortuis dominetur,* Rom: 14. ex quo ſequitur morte ſua, eam poteſtatē iudicandi conſecutum eſſe, atque adeò acquiſitam, non innatam poteſtatem iudicandi habere. Verùm nos iam oſtendimus duplicē in Chriſto poteſtatem eſſe; & morte acquiſitam, & innatam: illamque eſſe creatam, hanc increatam: illam ſubiectam poteſtati Diuinæ, & non ſummam; hanc ſummam & omnino abſolutam: illam minorem poteſtate Diuina, hanc eidem parem.

Si inquit, iudicandi poteſtas eſſet innata Chriſto, ſine cauſa fuiſſet illi à Deo donata, cumque per illam donatam poteſtatem Chriſtus omnia iudicia exerceat, illa innata in Chriſto iudicandi poteſtas fuiſſet prorſus orioſa. At hæc nullam vim contra nos habent. Nos enim in natura Diuina illam Chriſti poteſtatem innatam collocamus: aliam verò illam inferiorem humanæ Chriſti naturæ concedimus, eo fine, vt non ſolùm quà Deus, ſed etiam quà homo iudicium exercendi poteſtatem habeat ratione vtriuſque naturæ. Neq; ſi omnia iudicia per donatam poteſtatem à Chriſto exerceantur, otioſa erit innata: Siquidem ea ad id maximè confert, vt ſummo iure ac dominio Chriſtus iudicet, ſicut & Pater: quod à donata illa poteſtate fieri non poteſt, vt dictum eſt, cùm ea non ſit omnino abſoluta & ſumma.

At vrget Moſcorouius, eam poteſtatem iudicandi, per æternam generationem dari non potuiſſe. Nam data poteſtas præſupponit, inquit, Chriſtum Diuinam illam poteſtatem non habuiſſe, antequam illi data eſſet. Quod ſi aliquando illam non habuit, conſequens eſt, ab æterno non habuiſſe. Verùm Moſcorouius ignorantiam ſuam prodit, cùm exiſtimat omnem datam poteſtatem præſupponere aliquod tempus, in quo data non fuerit. Hoc enim ſicut verum eſt de ea datione quæ fit in tempore, & habet ſuæ durationis initium, ante quod non fuit; ita falſum eſt, de ea quæ fit ab æterno, cùm æterni ea ſit ratio, vt non habeat Ante, nec vllum prorſus durationis initium. Quocirca eo ipſo quòd aliquid ab æterno datum eſt, ita datum eſſe cenſendum eſt, vt ſemper fuerit, & nunquam non fuerit, quo omnis quæſtio de Ante prorſus excluditur. Cùm igitur ait Moſcorouius, Chriſtum poteſtatem illam antequam ei data eſſet non habuiſſe, abſurdè loquitur: in ijs enim quæ ſunt ab æterno, non *Ignorantia Moſcorouij.*

Digitized by Google

datur Ante, nec niſi ſtultè quæritur, an aliquid ante æternitatem fuerit.

At inſtat Moſcorouius. Si ſemper fuit ea poteſtas, dari non potuit; non enim datur id quod iam habetur, ſed quod nondum habetur. Verùm diſcat Moſcorouius, iſta minimè inter ſe pugnare, ſemper haberi, & tamen ab alio haberi. Doceo id primùm exemplo, tum ratione. Exemplum eſt Theologis vſitatum. Si enim ſol eſſet ab æterno, ſplendor quoque ab ipſo procedens eſſet ab æterno: ſemper igitur ſplendor ille eſſet, quia ab æterno, & tamen à ſole produceretur. Non igitur repugnat ſemper eſſe, & tamen ab alio haberi vel produci. Ratio quoque id ipſum manifeſtè docet. Eſſe enim & ab alio eſſe, nequaquàm ſunt oppoſita, ſed ſubalterna. Ergo & ſemper eſſe, & ab alio ſemper eſſe, non erunt oppoſita. Et ſicut, ſi viſio eſſet ab æterno, ea & ſemper eſſet & ab alio eſſet, non enim poteſt eſſe viſio niſi à vidente; ita & id quod ab æterno habetur, & ſemper habetur, & ab alio habetur, in eoq; nulla cerni poteſt contradictionis implicatio. Nam quòd obijcitur: non dari niſi id quod ante nõ habebatur. Reſpondendum eſt, id verum eſſe cùm datur aliquid in tempore, non verò cùm datur ab æterno. Id enim quod datur in tempore, non ſemper fuit, & idcirco antequam daretur, non habebatur: id verò quod datur ab æterno, ſemper fuit; & idcirco nullum habet Ante, Semper enim excludit Ante.

Semper eſſe & ab alio eſſe non pugnant.

Exemplum Solis.

Aliud exemplum.

Ad quem etiam modum ſoluitur illud ſophiſma Arianorum cùm aiunt. Quod eſt ab æterno, non habet principium, quod verò non habet principium, non poteſt generari, cùm generatio ſemper ſit ab aliquo principio generante: non eſt igitur poſſibile generationem eſſe æternam. In hoc ſophiſmate manifeſta continetur æquiuocatio in voce principium, cùm aliud ſit principium durationis ſeu temporis quod repugnat æternitati, aliud principium originis quod æternitati non repugnat. Id enim quod eſt ab æterno non poteſt habere principium durationis ſeu temporis, ſiquidem ſemper fuit & nunquam non fuit: habere tamen poteſt principium originis à quo generetur & producatur, cùm eſſe ſemper & ab alio eſſe non ſint pugnantia, vt oſtenſum eſt. Similiter generatio requirit principium originis, quod eſt principium generans, licet non requirat principium durationis & temporis, cùm ſine eo eſſe poſſit. Porrò

Æternum quod non habet principium.

Principium duplex.

eſſe duo

eſſe duo iſta principia diuerſa, luce clarius eſt. Nam principium originis eſt principium generans & quaſi cauſa efficiens generationis; principium verò durationis vel temporis, non eſt principium generans, ſed eſt primum inſtans & momentum durationis rei. Cùm igitur duo hæc principiorum genera Ariani confundant & diſtinguere neſciant, non eſt mirum eos in hac re inſigniter errare.

Similiter illa altera Moſcorouij argumentatio non minus inepta cenſeri debet, qua probare contendit generationem ab æterno eſſe impoſſibilem. Quod, inquit, ab omni æternitate ſuum eſſe habet, non eſt opus vt illud generatione acquirat. Id enim futile eſt. Nam ſi ab omni æternitate ex ſe habeat ſuum eſſe, id proculdubio non haberet opus, vt illud per generationē acquirat. At ſi habeat eſſe ſuum ab æterno quidem, verùm non ex ſe, ſed tanquam ab alio profectum, id ſanè non aliter eſt ab æterno, niſi quia ab alio exiſtit ab æterno, ac proinde per generationem eſt ab æterno.

Pergit Moſcorouius. In Deo generatio actiua & paſſiua dari nō poteſt, quin detur compoſitio. At id falsò & ſine probatione vlla Moſcorouius aſſumit. Oppoſitum enim demonſtratur à Theologis, nempe generationem actiuam & paſſiuam nullam compoſitionem in Deo efficere poſſe. Nam neque, quatenus ad ſe referuntur (ſic enim ſunt oppoſita:) neque quatenus ad eſſentiam pertinent, (ſic enim ſunt idem cum eſſentia:) ita vt in priori conſideratione oppoſitio compoſitionem impediat: in poſteriori autem identitas cum eſſentia, eam non admittat.

Tandem in hunc modum argumentatur. Aut generatio Filij ad finem ſuum peruenit, aut non: ſi peruenit, ergo Deus Pater ex generante factus eſt non generans, atque adeò mutatus eſt. Si non peruenit, ergo Filius nondum natus eſt; quod vniuerſis ſacris literis repugnat, quæ Filium natum teſtantur. Hoc argumentum refellitur dicendo, generationem Diuinam & perfectam eſſe, & nunquā deſinere eſſe: perfecta eſt; quia eſt cum ſuo termino perfecto: nunquam verò deſinit, quia æterna eſt. Æternum enim ſemper eſt. Semper igitur Deus Pater eſt generans, ſemper Filius eſt genitus, ſemper naſcitur, ſemper natus: nec Pater vnquam deſinit eſſe generans, nec Filius deſinit vnquam generari, & tamen ſemper eſt natus. Nam quatenus ſemper eſt à Patre, ſemper generatur: quatenus verò perfectum

Filius ſemper naſcitur, ſemper natus.

Digitized by Google

fectum eſſe habet à Patre, ita generatur, vt ſimul ſit & natus. Natum enim illud dicimus, quod perfectum ſuum eſſe habet à generante. Id quod exemplo in rebus creatis declarari poteſt. Sunt enim quidam effectus, qui ita oriuntur à ſuis cauſis, vt poſtquam producti ſunt, non dependeant amplius ab ipſis: vt ignis productus ab alio igne, poſt productionem ab eodem non dependet amplius: Alij verò ita oriuntur à ſuis cauſis, vt oriri non deſinant. Sic radius oritur à ſole, nec oriri vnquam deſinit. Non enim in primo ſolùm productionis ſuæ momento eſt à ſole, ſed & quamdiu durat, à ſole eſt, & ſic oriri à ſole nunquam deſinit: ſimul tamen perfectè ortus eſt. Sic & viſio ita oritur à vidente, vt ſemper ab ea oriatur. Hoc igitur exemplum docere poteſt Moſcorouium, non repugnare, vt aliquid ſimul & ortum ſit, & oriri non deſinat: & natum ſit, & naſci non deſinat. Quod ſi rebus creatis id non repugnat, neque Deo repugnare cenſendum eſt.

Quamobrem inſulſa & ignorantiæ plena eſt illa obiectio aduerſariorum, cùm aiunt, ſi Filius natus eſt, naſci non poteſt: quædam enim & nata ſunt, & nihilominus naſci non deſinunt. Quare & Filius Dei, quatenus perfectum eſſe habet à Patre, natus dicitur: tunc enim res dicitur nata, cùm perfectum ſuum eſſe acquirit. Quatenus verò illud perfectum eſſe ſemper habet à Patre, dicitur ſemper naſci. Neque enim modo minus Filius eſt à Patre, quàm fuit ſemper & ab æterno. Eſſe autem à Patre, eſt oriri à Patre; ſi igitur ſemper eſt à Patre, ſemper oritur à Patre, ſemper gignitur à Patre.

Cùm verò Moſcorouius quærit, an generatio Filij Dei peruenerit ad finem ſuum, vel non? Dico peruenuiſſe, & nunquam ſine fine ſuo fuiſſe; alioqui fuiſſet imperfecta: generatio enim tamdiu eſt imperfecta, quamdiu finem ſuum & terminũ non aſſequitur. Cùm inſtat, inde ſequi Patrem ex generante factum eſſe nõ generantem, ac proinde mutatum: neganda eſt conſecutio. Siquidem æterna generatio nunquam ceſſat: quare neque generans vnquam deſinit eſſe generans, nec ex generante fit non generans, ſicut & quod ab æterno gignitur, nunquam deſinit gigni, ſed ſimul & genitum eſt & gignitur, & ex conſequenti non ponitur in Deo vlla mutatio.

Generatio Diuina ſine mutatione.

Verùm hæc difficilia Moſcorouio videntur, quòd Diuinam generationem ſine illis imperfectionibus, quas generatio in rebus

creatis

creatis habet, apprehendere non valeat: cùm & ratio formalis generationis ab omnibus imperfectionibus abſtrahi poſſit, & Deo non niſi excluſis imperfectionibus tribui debeat. Porrò imperfectiones in generatione rerum creatarum ſunt hæ. Id enim quod generatur prius eſt imperfectum, quàm perfectionem ſuam acquirat; tendit enim ad ſuam perfectionem per motum & ſucceſſiuè. Deinde generatur cùm ante non fuerit, & per generationem acquirit primum ſuum eſſe: generatur enim in tempore. Adhæc generatur per mutationem, cùm & ex ſubiecto fiat, & antequam fieret non erat. Has omnes imperfectiones excludit generatio Diuina: ſiquidem Deo imperfectio nulla tribui poteſt. Nam inprimis, cùm ſit perfecta, excludit carentiam termini, quæ eſt magna imperfectio, ſed ſemper habet ſuum terminum perfectum. Semper enim Filius Dei erat, ſed quia erat à Patre, idcirco ſemper naſcendo erat. Deinde cùm ſit æterna, excludit omne initium, nec admittit vt aliquando non fuerit: quo etiam excluditur omnis mutatio. Quod enim ita producitur, vt nunquam non fuerit: fit ſine omni nouitate eſſendi; & ex conſequenti ſine mutatione, quia caret termino, A quo, mutationis, qui eſt, Ante non fuiſſe.

Plures quoque rationes contra æternam Filij Dei generationem iactat ſe habere Moſcorouius: at ex iis quas protulit, quàm futiles, ſophiſticæ, atque ignorantia plenæ eæ ſunt, quæque ſolùm rudibus & ignaris tenebras offundere poſſint, non ſapientibus atque doctis, conijcere licet; & cùm ad eas toties à Noſtris reſponſum abundè ſit: qui homines iſtos non pudet, eas in medium proferre, ſolutionibus non refutatis.

Aſſerit poſtremò Moſcorouius, ſi concedatur Filio datam eſſe poteſtatem à Patre quocunque tandem modo, illud neceſſariò conſequi, Filium à Patre eſſe naturâ diuerſum, cùm is qui dat, & qui accipit, nunquam poſſit eſſe vnus idemque naturâ.

At fallitur plurimùm, cùm ſine alia probatione id obijcit, quod à nobis diſertè negatur. Dicimus enim, eum qui dat, & qui accipit, perſonis debere eſſe diuerſos non naturis. Cuius ea etiam redditur à nobis ratio; quòd is qui dat, ſuammet numero naturam dare poteſt; ita vt hoc ipſum det alteri, vt ſit vnus naturâ cum ipſo: ſicuti nos ex ſcripturis de Filio Dei credimus, cui à Patre id datum eſt,

Dantem & accipientem non eſt neceſſe naturâ eſſe diuerſos.

Digitized by Google

eſt, vt ſit vnum naturà cum Patre. quod ſi hoc ipſum dari poteſt alteri, vt alter ſit vnum naturà cum ipſo, inde perſpicitur neceſſarium non eſſe, dantem & accipientem naturis eſſe diuerſos: ſiquidem cùm vnus alteri ſuammet naturam dat, opus eſt eſſe vnius naturæ cum ipſo. Nec id vlla veriſimili ratione ab aduerſariis conuelli poteſt, niſi illo ſtulto principio, quo pronnnciant, inter naturam & perſonam nullum eſſe diſcrimen: Cuius principij falſitatem in 1. de error: Arian: lib: ad finem, pluribus demonſtrauimus.

Ex his itaque quæ attuliſimus ſingulis, ſatis liquet, Moſcorouium Diuinitatem Chriſto donatam eſſe, probare non potuiſſe. Nam neque ex donatione nominis ſupra omne nomen id inferre potuit: neque ex data omni in cælo & in terra poteſtate, neque ex poteſtate iudicandi ampliſſima Chriſto conceſſa: ita vt ſine vllo ſcripturæ teſtimonio rem tantam, cumque tanto Chriſti præiudicio coniunctam, aſſeruiſſe cenſendus ſit.

Moſcorouius Miniſter Arianus.

Ad finem ſui libelli Moſcorouius ait, per contumeliam ſe à me Miniſtrum Arianum vocatum: quod tamen munus ſi ſibi contigiſſet, pro ſummo honore & ornamento ſe illud habiturum fuiſſe. Verùm multò aliter res habet. Nam quis contumeliam reputet, ſi ratione eius, quod quis exercet muneris, nomen ei imponatur? Quod verò munus Miniſtrum magis indicat, quàm quod tot annis Racouiæ Moſcorouius exercuit, quà libris ſcriptis, quà concionibus, quà cætera ſynagogæ Racouienſis curà? quid enim plus à Miniſtro præſtari potuit? Neque enim apud Arianos Racouienſes (ſi VVolkelio credimus) ad Miniſterium vlla vocatione Diuina, aut miſſione, aut conſecratione opus eſt, ſed ſolùm eorum aſſenſu, qui audire verbum volunt. Fingit igitur Moſcorouius in nomine contumeliam, quæ illi ratione muneris quod ſuſcepit, omni iure competit; neque nomen prius deponet, quàm munus reijciat. Cùm verò Miniſtri officium, ſi ſibi contigiſſet, pro ſummo honore & ornamento ſe habiturum fuiſſe, ſcribit; primùm non intelligo, ſi tantus honor & ornamentum ſit, Miniſtrum eſſe, quomodo Miniſtri nomē pro contumelia ab eo haberi poſſit. Deinde Miniſtrorum, præſertim Arianorum, officia nondum vidimus, aliquos illuſtres & honoris amantes viros, vel ambijſſe, vel admodum expetijſſe, ſed refugiſſe potius dedecorique duxiſſe; & vulgaribus ea libenter conceſſiſſe. Et verò quis

Digitized by Google

rò quis honor ei muneri haberi debet, quo tot in Deum & Dei verum Filium atque in Spiritum ſanctum blaſphemiæ euomuntur execrandæ, ad ipſorum aliorumque plurimorum perniciem. Equidem ea in re non Deo ſed Cacodæmoni ſeruitur; eidemque linguas ſuas & mentes conſecrant Miniſtri; fiuntque nobiliſſima eiuſdem inſtrumenta ad Dei verum cultum demoliendum, & animos hominum à vera ſalute & felicitate abducendos, & in baratrum vſq; præcipitandos, mercedem laboris accepturi, ignem nimirum illum deuorantem, incendiaque ſempiterna.

Scio Moſcorouium tantos ſibi ſpiritus ſumere, vt ſe ſolum ſapere, ſolum ſe Diuino lumine colluſtratum eſſe reputet; cæteros ante ipſum fideles errorum tenebris inuolutos, ignoraſſe ea, quæ per Socinum Apoſtatam, Racouienſibus reuelata ſunt, ab eo qui ſe trăſfigurare ſolitus eſt in Angelum lucis. Verùm hic tumor & arrogantia hæreticis propria eſt, vt ſuum iudicium totius Eccleſiæ iudicio anteponant, & perſuaſiſſimum habeant ſua mendacia eſſe Fidei veritates. Quæ perſuaſio, vti nullum hæreticum vnquam iuuit; ita neque Moſcorouio, aliiſque eiuſdem farinæ, ſuffragabitur. Intelliget aliquando miſer, quid ſit à communi fidelium & Eccleſiæ Catholicæ, cui promiſſus eſt Spiritus veritatis, ſenſu recedere, & proprij capitis commenta ſequi, ſuoq; ſtulto ſpiritu ſcripturas in quemcunque ſenſum torquere, aliiſque ad interitum auctorem eſſe. Cùm verò promittit ſe ſuis erroribus ceſſurum, ſi Diuinarum literarum auctoritate & rationibus euidenter deductis veritatem docuero; auferat præiudicatam ab animo ſententiam, affectumque & ſpiritus altos, hoc eſt hæreticos, deponat, Chriſtiana denique ſubmiſſione & Diuino implorato auxilio, ea quæ tum contra ipſum, tum contra Smalcium ac VVolkelium, ex Diuinarum literarum auctoritate, communique fidelium ſenſu ſcripſimus, legat relegatque diligenter, & tum demum futurum ſperamus, ſi nihil in animo Diuinæ gratiæ obſtiterit, Dei auxilium non defuturum, velamineque de corde ſublato, lucem illam cæleſtem de tenebris protinus affulſuram. quod illi ex animo Chriſtiano vehementer cupio.

Ex Collegio Karnkouiano Caliſſij 7. Iunij

Anno 1615.

AD LE-

BIBLIOT

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Vides, beneuole Lector, quò tandem Ariani collimant, nempe vt Deum & Religionem omnem è mundo tollant. Quid enim reſtat in Religione amplius, ſi plures Dij, Ethnicorum more, colendi inducantur: Filio Dei & Spiritui S. Diuina natura denegetur, ſanguis Chriſti verum eſſe pretium redemptionis noſtræ non credatur: vnicum illud pro peccatis in cruce peractum ſacrificium reijciatur: Sacramentis nulla vis & efficacitas ad nos ſaluandos tribuatur: Baptiſmus aquæ in nomine Patris & Filij & Spiritus S. à Chriſto nec præceptus, nec inſtitutus eſſe aſſeratur. animorum immortalitas, & eorundem, quæ nunc gerimus, corporum reſurrectio non credatur. Quid hoc aliud eſt, quàm Chriſtianam fidem abnegare, & ex Chriſtianis in Gentiles abſurda metamorphoſi tranſmutari? Qui hoc Arianam doctrinam moliri, non videt aut non ſentit, neſcio quid videat, quid ſentiat. Id verò nos ſcriptis noſtris agimus, agemusq́; duce Deo deinceps, vt homines ex ſcripturis tandem perſpiciant, quantas in Religione tenebras Ariana perfidia inducat, & quomodo ſacroſanctam fidem penitus euertat: adeò vt qui Chriſtianus eſſe velit, nihil magis quàm peſtem Arianam ſugere & execrari debeat: quam ſi ſemel imprudens hauſerit, totius Fidei & Religionis iacturam eum facere oporteat. Tu Lector, hæc noſtra, eo quo par eſt animo, accipe, & Ariana venena prudens euita. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by [illegible]